CENSURAE FACULTATUM SACRAE THEOLOGIAE LOVANIENSIS...

Université catholique : Faculté de théologie, ...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8·
50 B
3

Digitized by Google

Digitized by Google

M

Digitized by Google

CENSURÆ FACULTATUM SACRÆ THEOLOGIÆ LOVANIENSIS AC DUACENSIS,

Super quibuſdam Articulis de Sacra Scriptura, Gratia, & Prædeſtinatione, Anno Domini 1586. Lovanii ſcripto traditis.

8.50.B.8

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,

M. DC. XLI.

Digitized by Google

Digitized by Google

CENSURA LOVANIENSIS.

PRÆFATIO.

REVERENDIS IN CHRISTO Patribus, Patri Rectori ac Profeſſoribus cæteriſque Patribus Collegii Societatis Nominis IESV in Univerſitate Lovanienſi; Decanus & reliqui Theologiæ Facultatis in eadem Univerſitate Magiſtri æternam ſalutem pacemque precantur.

REVERENDI Patres. Cùm nuper ad aures noſtras perveniſſet, peregrina, offenſiva, & periculoſa quædam dogmata, circa Dei gratiam, & prædeſtinationem, in publicis prælectionibus veſtris, anno ſuperiori tradita atque aſ-

 ſerta.

Digitized by Google

ſerta fuiſſe, quæ proindè inter auditores communeſque diſcipulos diſſidia, contentiones, ac partium ſtudia generarent, non id putavimus negligendum. Ne quid tamen leviter aut temerè credidiſſe, vel proceſſiſſe videremur, certis quibuſdam Collegii noſtri Magiſtris negotium dedimus, ut perlectis diligenter Profeſſorum veſtrorum in hoc argumento dictatis, diſpicerent, veranè an falſa perlata ad nos forent, ſi quid autem deprehenderent, id fideliter excerptum ad nos referrent. Cùm autem quæ notanda putarant, lecta coram nobis fuiſſent, quanquam cum iis quæ perlata initio fuerant, valdè conſentire viderentur, ne quid tamen diligentiæ, aut humanitatis prætermiſſum à nobis videri poſſet, decrevimus ut ſelectiora quæque Reverendis Paternitatibus veſtris offerrentur, num ea pro veſtris agnoſceretis, aut ſi quid non ſatis dextrè excerptum, aut obſcurius fortaſſis, minuſvè conſideratè dictum foret, id ſupplere, illuſtrare ac emendare dignaremini. At verò uſque adeò de priore ſententia diſceſſum non eſt, ut pauculis tantùm mutatis verbis, oblati articuli ſeu aſſertiones pro veſtris agnoſcerentur, approbarentur, & adjecto paſſim ſcholio pluribus etiam rationibus confirmarentur.

tur. Quo cognito, non potuimus non ſanè graviter pro cauſę ipſius magnitudine commoveri, quando præcipuum illud de gratia Chriſti ac divina prædeſtinatione argumentum tot novis, imò jam olim reprobatis rejectiſque periculoſis opinionibus, corrumpi ac infici cerneremus, quemadmodum ex ſubjectis aſſertionibus veſtris, cenſuriſque noſtris evidenter patebit. Ut autem præcipuas doloris noſtri cauſas generatim colligamus, quatuor potiſſimum ſunt, quas hâc præfatione duximus proponendas.

Quatuor præcipuæ cauſæ quæ S. Theol. Facultatem moverunt ut ſe huic doctrinæ opponeret.

Cauſa prima.

In primis quod D. Auguſtini de gratia & libero arbitrio, deque prædeſtinatione & reprobatione doctrinam, in qua tuenda, explicanda, ac illuſtranda tot annis, tot editis libris, tantâ diligentiâ atque inſtantiâ vir tanto ingenio, tantâ ſapientiâ, tot Dei dotibus tam excellenter ornatus, jam ævi maturus ac ſenex pro Dei Eccleſia deſudavit, non in aliqua, ut dicitis, ſui particula, ſed totam propemodum ex propoſito oppugnari, funditusque deſtrui ac everti videmus. Ac in B. Auguſtini ſcriptis quid tandem eſt, quod eum Eccleſiæ Dei tam gratioſum, venerabilem, ac ſuſpiciendum hactenus reddidit, quàm hæc ipſa de gratia & Dei prædeſtinatione doctrina? Quam

In ſcholio quæſt. 4. §. 4.

ei laudem & gloriam ſi quis eripiat, næ is præcipuum illi decus, & quaſi florem ac coronam capitis detraxerit, ut ob cætera non ſit cur eum magnoperè admiremur. Si verò in tanti momenti argumento explicando vel lapſum fuiſſe, vel non rectum ac neceſſarium tenuiſſe modum exiſtimabimus, non modò ejus labaſcit in cæteris auctoritas, ſed, quod fidenter dicimus, multum quoque ac turpiter falſa erit, atque aberraverit Eccleſia, quæ illius ductum judiciumque ſecuta inimicos gratiæ Chriſti debellaſſe ſeſe, ac triumphaſſe de illis crediderit. Quod ſanè vel cogitare nefas ac impium fuerit: ut hanc adverſus Auguſtinum criminationem non ad ipſius modò; ſed totius etiam Eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedis non minimam pertinere exiſtimemus injuriam, cùm in hujus argumenti arena, tantum ei non dubitarit tribuere; quantum contra Valentinianos & Gnoſticos Irenæo, contra Arrianos Athanaſio atque Hilario, contra Neſtorianos Cyrillo, denique contra Euthychianos Leoni Pontifici, fideles ſemper omnes tribuerunt; ut quemadmodum iſti adverſus ſupradictos hæreticos divinitùs ſunt excitati, ita B. Auguſtinus contra gratiæ Dei inimicos ſingulari providentiâ deſtinatus, cujus

cujus ductu atque auſpiciis Catholica acies pugnaret, ac vinceret. Unde ipſius etiam defuncti authoritatem & famam adverſus tum ejus, tum gratiæ Dei oppugnatores Celeſtinus Pontifex tuendam ſuſcipiens, tantum illi perhibet ſcientiæ teſtimonium, ut non modò illum dicat *neceſſarium in ſtribendo non exceſſiſſe modum*, *nec ullo unquam ſiniſtræ ſuſpicionis vel rumore ſaltem fuiſſe aſperſum*, verum etiam *inter optimos Eccleſiæ Magiſtros à ſuis ſemper anteceſſoribus habitum, qui proinde cunctis & amori, & honori fuerit*, meminiſſe ſe aſſeveret. Quod Apoſtolicæ ſedis tam luculentum elogium eſt, ut adverſus calumniatores ejus omnes, vel unum abundè ſufficiat, neque neceſſe ſit cæterorum Eccleſiæ Patrum, quas in eum congerere non dubitârunt, accumulare hic laudes, quando unum illud inſtar ſit omnium. Quare intolerabile nobis viſum, quod non ſolum adverſus Pelagium, & ejus hæredes, infeliciter laboraſſe Auguſtinus fingitur, ſed idem quoque de Lutheraniſmo ac Calviniſmo ſuſpectus redditur, tanquam imperitus, ſtupidus, ac cæcus habetur, ut non modò gratiæ ipſius, de qua diſſerebat, vim naturamque neſcierit, ſed nec arbitrii humani libertatem, ne monitus quidem, dogmate ſuo evertere ſe ſenſerit.

Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ c. 2. & 3.

A qua hæreticorum & veterum, & noſtræ tempeſtatis ſententia & argumentis, ſi non poteſt Auguſtini doctrina vindicari, graviſſimè profectò & à ſede Apoſtolica, & cæteris Eccleſiæ proceribus peccatum eſt, qui B. Auguſtini vigilias, labores atque doctrinam, tam magnificè prædicaverint, cùm tanquam periculoſam, pernicioſam, & hæreticam arguere potiùs damnareq; debuerint. At verò quid Eccleſiæ Dei calamitoſius luctuoſiuſque accidere queat; quid verò hæreticis gratius, jucundius, aut optabilius, quàm ut adverſus Catholicos, vel in hoc uno dogmate, ſtare pro ipſis, etiam noſtrâ confeſſione tantopere laudatus Auguſtinus putetur? Nam hoc conceſſo, quis non videat quantâ illi virium acceſſione firmentur, Catholici verò quanti præſidii jacturâ debilitentur? Prement nos illi auctoritate viri hujus, quæ in Eccleſia Dei maxima ſemper hactenus fuit: quam tamen adverſus eos quâ nos fronte vel in cæteris opponemus, quando tam gravi ac indigno errore tam infirma, immò fracta & vilis effecta ſit? Diſpiciant igitur Reverendæ Paternitates veſtræ, quàm rectè ſe credant obſiſtere faciliùs hæreticis poſſe, ſi contempto & damnato Auguſtini dogmate, & auctori-

tate

Digitized by Google

tate tam graviter labefactatâ, diverſam adverſamque illi in gratiæ ac prædeſtinationis negotio doctrinæ rationem ſequantur. Nam emplaſtrum illud quod poſt [a] Maſſilienſes, [b] Catharinum, ac [c] Pighium, tam graviter ſaucio & attrito Auguſtini capiti apponere tandem conamini, videlicet ejus vos viri doctrinam, hoc uno excepto, plurimum ſuſpicere & admirari, eamque in cæteris omnibus audire libenter ac ſequi paratos, quàm miſerum ac evanidum ſit, atque ad mitigandam duntaxat invidiam comparatum, quis non intelligat?

a *Hilar. ep. ad Aug.*
b *In cap. 9. ad Rom.*
c *Lib. de lib. arb.*

Secunda cauſa.

Et quaſi non hæc ſatis atrocia ſint, novum quoddam ab Oriente bellum Auguſtino conflatur, ut Græci Patres omnes in ſupra dicto argumento, & ſcripturis huc pertinentibus explicandis, diverſam ab eo diſcipuliſque ipſius ſententiam tenuiſſe inducantur, ut in præcipuo fidei articulo oriens & occidens diſſidere inter ſe exiſtimentur. Quod quàm periculosè pernicioſeque dicatur, etiam nobis tacentibus, facilè quivis intelligat. Sed abſit, ut Eccleſiæ Patres, per quos unus idemque, non diſſenſionis, ſed concordiæ locutus eſt ſpiritus, pugnantes in fide minimèque concordes, ut in cæteris, ita & in hoc argumento ſententias ha-

Digitized by Google

buiſſe ſuſpicemur; cùm in damnanda Pelagii ac ſectatorum ejus doctrina, ut occidentalis Eccleſiæ Auguſtini, ita orientalis in Epheſina Synodo Celeſtini Romanæque Eccleſiæ ſequuta judicium ſit. Quomodo ergo pugnare illorum inter ſe putantur ſententiæ? Et eſt quidem ita, quòd veteres Græci contra ſui temporis hæreticos Manichæos differentes paulò aliter interdum locuti, ac ſcripturas nonnullas tractaſſe reperiantur, quodque nondum exorto, vel manifeſtato Pelagio, quid de gratia ac prædeſtinatione Dei ſentiendum eſſet, non tam apertè diſertèque explicarint, ſed contraria tamen atque adverſa tradidiſſe nuſquam deprehendentur. Quamquam ad hanc ipſam objectionem ipſe jam olim etiam Auguſtinus abundè reſpondit.

Lib. de prædeſt. ſanct. c. 14.

Tertia cauſa.

Mirum verò quid ita viſum ſit non hanc modò, ſed cæteras etiam penè omnes Maſſilienſium, aliorumque eidem huic B. Auguſtini doctrinæ per Gallias olim obſtrepentium querelas poſt Catharinum ac Pighium de integro renovare, ac ſuſcitare, quas tamen à ſede Apoſtolica per Celeſtinum Pont. repreſſas, coercitas, caſtigatas, & æterno conſtat eſſe damnatas ſilentio? ut autem palam fiat non alia B. Auguſtino à vobis objici, nec diverſas

Epiſtola ad Epiſcopos Gallia.

Digitized by Google

ſas eſſe veſtras de doctrina ejus queremonias, quàm quas olim Proſper atque Hilarius ad ipſum primum Auguſtinum, deinde ad Celeſtinum Pontif. retulere, breviter eas ex ipſorum ſcriptis collectas proponemus.

1. Et primum quidem quod quicquid B. Auguſtinus in ſcriptis ſuis adverſus Pelagianos editis de vocatione electorum ſecundum Dei propoſitum diſputaſſet, totum id Patrum opinioni, ac ſenſui Eccleſiaſtico eſſet adverſum. *Maſſilienſium cont. B. Auguſt. doctrinam querela.*

2. Ad hæc quod ſcripturæ, quas ex Pauli ad Rom. Epiſtola ad manifeſtationem divinæ gratiæ electorum merita prævenientis proferret, aliter ab aliis ſcriptoribus intellectæ forent, qui omnes unâ ſententiâ propoſitum, & prædeſtinationem Dei ſecundum præſcientiam acceperunt.

3. Per prævenientis ſeu præoperantis Dei gratiæ, ac prædeſtinationis doctrinam liberum arbitrium tolli.

4. Sub prædeſtinationis ejuſdem nomine, abſolutam neceſſitatem induci.

5. Auguſtini doctrinam, de gratia humanos omnes præveniente conatus, audientium ædificationi eſſe contrariam.

6. Si omnia bona opera Deus in nobis operetur, meritum omne noſtrum excludi.

7. Dei

7. Dei conſtitutio ſi humanas prævenire cum Auguſtino ponatur voluntates, omnem removeri induſtriam, virtuteſque tolli.

8. Quod Auguſtini de prædeſtinatione & reprobatione doctrina lapſis curam adimat reſurgendi, ſanctis adferat torporis occaſionem, eò quòd in utramque partem ſuperfluus labor ſit, ſi neque rejectus ullâ induſtriâ poſſit intrare, neque electus ullâ negligentiâ excidere.

9. Quod ea res deſperandi neceſſitatem injiciat.

10. Quod præceptis etiam & exhortationibus adverſetur.

11. Quod cum propitiatione, quæ in Sacramento Sanguinis Chriſti univerſis hominibus, ſine exceptione, propoſita eſt, non ſatis conſentiat.

12. Poſtremò parvulorum cauſam non rectè in hoc argumento ad exemplum ab eo majorum adferri. Sanè non alia ferè in ſcriptis dictatiſque veſtris adverſus Auguſtini doctrinam argumenta videmus opponi.

Maſſilienſium ſententia ac opiniones huc pertinentes.

Jam verò ad eorum quod attinet ſententias & opiniones, quam exceptis pauciſſimis non procul ab eis diſcedere doctrina veſtra videatur, advertere quæſumus pauliſper dignemini.

1. Et

1. Et initio quidem volebant eligendorum ac rejiciendorum diſcretionem non ex Dei vocantis pendere propoſito, ſed ex præviſis cujuſque operibus ac meritis. Prævidiſſe enim Deum quinam credituri, & in ſuſcepta fide permanſuri eſſent, qui non eſſent; eos itaque in regnum ſuum prædeſtinaſſe, quos gratis vocatos dignos electione futuros, & de hac vita bono fine exceſſuros præviderit.

2. Certum electorum numerum qui nec augeri, nec minui poſſit, præordinatum à Deo non eſſe.

3. Quantum ad Deum pertinet, paratam æqualiter omnibus vitam æternam, eos autem apprehendere qui Deo ſpontè crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.

4. Credendi poſſibilitatem ex Deo cuique eſſe, fidem ſeu credendi voluntatem ex ſeipſo.

5. Ad Dei cognitionem, mandatorum obedientiam, regenerationis gratiam, poſſe quemque pervenire per naturalem facultatem petendo, quærendo, pulſando, ut ideò accipiat, ideò inveniat, ideò introeat, quia bono naturæ benè uſus ad iſtam ſalvantem gratiam meruerit pervenire.

6. Quod Dei gratia humanam non præ-

præveniat, ſed ſequatur voluntatem, ut non ideò velit quia adiuvetur, ſed ideò adjuvetur quia priùs voluerit.

7. Per gratiam Dei non opus ipſum, ſed operis tantùm poſſibilitatem donari.

8. Perſeverantiæ donum in hoc generaliter poſitum non quo perſeverans quiſque fiat & ſit, ſed eſſe poſſit ſi velit.

9 Sanctis omnibus perſeverantiæ munus donari.

10. Perſeverantiam ſemel donatam amitti poſſe.

11. Non aliam nec potentiorem nunc electis perſeverantiam dari, quàm primis hominibus collata fuerit. Has fuiſſe olim Maſſilienſium aliorumque quorundam per Gallias inter cætera opinationes quas adverſus Auguſtinum retinendas putarent ex Proſpero atque Hilario intelligi poteſt, cum quibus utrum nihil habeatis commune quæſumus prudentia veſtra etiam atque etiam diſpiciat. Nam quod in ejus rei adſertis argumentum, fidem illos Dei donum negaſſe, vos eſſe fateri, equidem (ut id etiam vobis donemus) prorſus non ſatisfacit; videtis enim quàm alia multa ſuperſint à quibus adhuc vindicari habeatis. Et tamen ut quod ſentimus, dicamus ingenuè, nec in illa parte multum videmus diſcriminis. Nam fidem

quæſt. 4. §. 2.

quidem

Digitized by Google

quidem illi ex poſſibilitate volebant exiſtere naturæ, ita tamen ut non ſolum externæ prædicationis beneficium, ſed nec internam quidem illuminationem ac revelationem divinæ veritatis neque propoſitis præmiis, nec pœnis excitationem, ac pulſum excluſum voluerint, quando ea negare nec Pelagius potuit, quo tamen non obſtante, Dei donum eſſe fidem, negare judicati ſunt. Ex quo autem alio capite eam Dei donum veſtra faciat ſententia, equidem non ſatis intelligimus, niſi quod ſub præveniente ac excitante veſtra gratia ſcrupulos etiam conſcientiæ (quod tormentum homines etiam inviti ſentiunt ſupprimereque conantur) & velleitates quaſdam ſeu imperfecta quædam emendandæ vitæ comprehendatis deſideria. Sed quæ nimirùm omnia cum ipſo erroris ac infidelitatis dominatu conſiſtunt, quo fiat ut veram ſaltem erroris ac infidelitatis depoſitionem, atque ipſam ad credendum voluntatis determinationem humani tantùm arbitrii facere videamini. Nam concomitans gratia quam in auxiliante concurſu collocatis, nec converſionem ipſam nec velle tribuit, ſed adeſt tantùm ad cooperandum paratis, ſeu ut dicitis, ſi priùs ipſi voluerimus, quem concurſum non

Apud Auguſtinum lib. de gratia Chriſti c. 7. 10. & 11.

Vide plura inferius ad aſſertiones 8. 9. 10.

Digitized by Google

non putamus nec Pelagium fuiſſe negaturum. Quare omnibus benè conſideratis, nec in hac quidem parte ſatis videmini à Maſſilienſibus recedere, neque in alio differre, quàm quod præter interiorem prædicationem ac Dei pulſum, imperfecta quædam boni deſideria, ac velleitates interdum quaſdam ſuperaddatis. Quæ quàm parvo diſcrimine ac intervallo diſtent, per communem quæſumus ſalutem advertere dignemini. Jam verò quandò & infideles omnes, etiam obduratos & excæcatos, ſatis ad converſionem auxilii ſemper & ubique habere vultis, ad quam utique in primis neceſſaria fides eſt, ut ſi facerent quod ex naturali diſpoſitione poſſunt, non defuturus ſit eis illuminator & adjutor Deus, ut credere & converti poſſint, an non & fidem ipſam ſecundum initia ſaltem ſua ex quadam voluntatis ſanitate & poſſibilitate deducitis?

Quarta cauſa.

Quàm verò tum hæc, tum ſuperiora omnia & periculoſa, & ut liberiùs loquamur pernicioſa ſint, velimus prudentia veſtra preſſiùs conſideret, deprehenſuram ſperamus ex his doctrinæ fontibus peſtiferos iſtos manare rivulos. Dei gratiam ſecundum merita noſtra dari, fidem, converſionem, bona opera, ac in eis

Digitized by Google

eis perſeverantiam noſtrarum eſſe propriè virium. Ex lege eſſe juſtitiam. Non eſſe orationem magnopere neceſſariam. In toto ſalutis noſtræ negotio quod præcipuum eſt homini tribuendum, quod minus eſt Deo. (Quis enim non videat præſtantius eſſe ipſum fidei, converſionis, bonæ vitæ ac perſeverantiæ opus, quàm ſolùm hoc poſſe & huc excitari?) Item in opere gratiæ priores hominis eſſe partes, poſteriores Dei. Quemquem ſibi ducem eſſe ad bonum, pediſſequum ac ſubſervientem eſſe Deum. Denique fas eſſe jam non in Domino, ſed in ſeipſo gloriari. Immo quod ex iſtis conficitur ad præcipuos ſalutis effectus gratis eſſe mortuum Chriſtum. Atque id totum propterea, quia veræ atque efficacis gratiæ Chriſti cum libero arbitrio iniri putetur non ſatis poſſe concordia. Quæ res quum viſa ſemper fuit eſſe difficilis, & credi tamen interea concordiam neceſſe foret, etiamſi humano ingenio minus id plenè comprehendi poſſet, quæri ſtudiis veſtris ille magis videtur modus qui ad humanum ſit captum plauſibilis, quàm ſecundum ſcripturarum doctrinam ſolidus. Sed hæc de juſtiſſimi doloris noſtri cauſis generatim dixiſſe ſufficiat, cætera in aſſertionum cenſuris particulatim latiùſque

perſecuturi ſumus. In quibus tamen aſſertionibus colligendis, & refutandis quoad fieri potuit, propoſita nobis brevitas fuit. Nam qui omnia exactè notare, deque ſingulis cenſere vellet, juſto erat volumine opus. In excerptis autem recitandis, ea fide uſi ſumus quanta maxima adhiberi à nobis potuit, quin & loca ſcriptorum indicavimus, undè repetita quæque forent, ut ſi quid aliter, aut clarius in codice legi exiſtimetur, inſpiciendi ejus facultas eſſet. Nam ut totas huc diſputationes transferremus neminem futurum arbitramur, qui poſtulandum hoc à nobis, aut expectandum putârit. Cæterùm de Scriptura ſacra aſſertiones aliquot veſtras tametſi poſteriùs ſeriùſque ad nos perlatas, non tamen eſſe putavimus abſque cenſura dimittendas, eas igitur, ordinem tractationis ſecuti, ad reſponſi noſtri caput adjecimus.

Quod autem ſupereſt Reverendi Patres, obſecramus vos in Chriſti viſceribus, ut rem hanc totam, ſepoſito paulìſper anticipatæ opinionis præjudicio, liberis animis intueri ſeriòque expendere dignemini, ut ſi fieri queat in tam magno fidei noſtræ de gratia Chriſti ac Dei prædeſtinatione negotio unum idemque concorditer ſapiamus, eò magis quòd (ut idem

idem de Maſſilienſibus queritur Proſper) eadem aliquando nobiſcumulelioraque ſenſeritis. Neque enim de ſtudioſorum excidit memoria quænam, Reverendi Patres, Robertus Bellarminus ex eadem cathedra veſtra de his ipſis argumentis nuper & ſenſerit & publicè docuerit, veſtro nunc dogmati planè adverſa atque contraria, in quod iiſdem cum Maſſilienſibus de libero arbitrio moti argumentis abduci vos paſſi eſtis, quod quàm graviter, prudenter ac circumſpectè factum à vobis ſit, Maſſilienſium docere vos poteſt exemplum. Nam ut liberi arbitrii, cum vera Chriſti gratia conſiliationem difficile fuerit ad popularem captum, intelligentiamque deducere, non tamen moveri quemquam hinc oportebat, ſed meminiſſe potiùs prophetici di-dicti. *Niſi credideritis non intelligetis.* Equidem valdè dolemus pietatem veſtram Domini Noſtri Jesu nomen titulumque præferentem, gratiæ ipſius (ut nobis ſanè videtur) obſcurare gloriam ejuſque vim & efficaciam enervare. Et cùm de Chriſtianorum moribus optimè ſitis hactenùs promeriti, non parùm veremur, ne ſi in ſuſcepta ſemel doctrina iſta perſeveretis, ejus contagio plurimum ſitis obfuturi, & qui bonæ vitæ exemplo multos ædifi-

Epiſtola ad Auguſtinum.

caſtis in Chriſto, dogmatis jam hujus magiſterio pleroſque malè vobis credulos in ruinam, quod abſit, exitiumque præcipitetis. Cæterùm libertatem in dicendo hîc noſtram, cum Chriſtiana tamen uti ſperamus charitate modeſtiaque conjunctam, rogamus ut æqui bonique conſulere dignemini, nam cauſæ ipſius & æquitas & magnitudo hanc prorſus viſa nobis eſt loquendi poſtulare fiduciam, ut remiſſos hîc, & flaccidos eſſe juſtâ non potuerit reprehenſione carere. Si quid autem erit in quo putabitis non ſatis eſſe vos à nobis intellectos, nec id doctrinam habere veſtram, quod noſtra illic Cenſura reprehendit, gratiſſimum erit ſi ſcripto viciſſim aliquo mentem veſtram clariùs explicueritis, ut enim ſolis inter nos verbis & dicendi explicandique modo differamus, in re autem ipſa conſentiamus, unicum id votum noſtrum maximumque fuerit.

ASSER-

Digitized by Google

ASSERTIONES QVÆDAM EX Publicis prælectionibus Reverendorum Patrum Societatis nominis IESV anno 1586. in Vniverſitate Lovanienſi habitis, verbatim excerptæ & ab ipſis ibidem Profeſſoribus pro ſuis agnitæ, comprobatæ, ſcholiiſque illuſtratæ, quæ Sacræ Theologiæ ibidem facultati offenſivæ, & ex ſubjectis rationibus improbandæ videntur.

BIBLIOTHECA ... REGIA ... EMANUEL...

ET PRIMUM DE SCRIPTURA SACRA ASSERTIONES.

Exceptis tribus de Scripturæ aſſertionibus, quæ quia ſerius ad Facultatem allatæ fuerunt, exhiberi cum cæteris non potuêre.

1. UT aliquid ſit Scriptura Sacra, non eſt neceſſarium ſingula ejus verba inſpirata eſſe à Spiritu ſancto.

2. Non eſt neceſſarium, ut ſingulæ veritates & ſententiæ ſint immediatè à Spiritu Sancto ipſi ſcriptori inſpiratæ.

3. Liber aliquis (qualis fortè eſt ſecundus Machabæorum) humanâ induſtriâ ſine aſſiſtentia Spiritus Sancti ſcriptus, ſi Spiritus Sanctus poſteà teſtetur ibi nihil eſſe falſum, efficitur Scriptura ſacra.

CENSURA.

Tres iſtæ aſſertiones accedere videntur ad damnatam olim Anomæorum opinionem, qui Prophetas & Apoſtolos in multis volebant ut homines fuiſſe locutos, ut refert Epiphanius hæreſi 76. & ad eorum Sententiam quam præfatione in Epiſtolam ad Philemonem & alibi D. Hieronymus reprehendit, de qua & notatus Eraſmus fuit. Nec immerito quidem, ſiquidem Scriptura Sacra eaque tota non hominum, ſed Dei eſt verbum à Spiritu

Seſſ. 4. Sancto, ut Tridentina Synodus ait, dictatum. Unde Petrus Apoſtolus; *Omnis*,

2. Petr. 1. inquit, *Prophetia ſcripturæ, propriâ interpretatione non fit. Non enim humanâ voluntate* (ut addit) *allata eſt aliquando Prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.*

2. Tim. 3. Similiter & Paulus Apoſtolus, *omnis ſcri-*

Aug. lib. 1. de Conſ. Euang. cap. ult. Gregor. præf. in Iob. Theod. præf. in Pſal. lib. 12. conf. c. 26. lib. 6. de conſ. Euang. c. 7. *ptura divinitus inſpirata.* Quo fit ut veteres Patres Sacrorum ſcriptorum linguas & manus non aliud quàm Spiritus ſancti calamos fuiſſe teſtentur. In quorum proindè ſcriptis certam quandam eloquendi facultatem propriùmque texendi ſermonis modum B. Auguſtinus agnoſcit, uſque adeò ut regi etiam hic eodem teſte mentem ſuam plus utique nobis, illi ipſi ſentirent.

De Prædeſtinatione & reprobatione.

ASSERTIO I.

Auguſtinus definit, quod Prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur. Quæ definitio valdè bona eſt, ſi intelligatur de prædeſtinatione hominum, quæ ſupponit ſervitutem & peccatum & de certitudine ex præſcientia, non ex mera præordinatione. *De dono perſev. c. 14.*

CENSURA.

Hic commentarius Maſſilienſium videtur renovare ſententiam, qui Dei electionem ex meritorum eſſe volebant præſcientia, quam B. Auguſtinus loco ſupradicto refellendam ſibi proponit. Quare pervertit & ſupradictam Auguſtini definitionem. Conſtat enim ex antecedentibus ipſius verbis loqui eum non de conditionata præſcientia, qualem in prædictis verbis Patres intelligunt, ſi videlicet acceptare gratiam & perſeverare voluerint, ſed de præſcientia eorum quæ ipſe facturus eſt, quæ propterea ſe facturum præſcivit, quia facere ſine conditione voluerit, ſicuti abſque conditione facturum ſe abſolutè promiſit, & pro-

Digitized by Google

pterea quicunque ſecundum æternam Dei prædeſtinationem de maſſa perditionis liberantur, ideò certiſſimè liberantur, quia gratiæ ſuæ beneficiis liberare illos Deus decreverit, faciendo non ſolùm ut poſſint ſi velint, ſed faciendo etiam ut velint & faciant, idque perſeveranter uſque in finem. Ejuſmodi ſunt enim promiſſiones Abrahæ & ſemini ejus electiſque novi teſtamenti filiis apud Moyſen, Jeremiam, Ezechielem, atque alibi factæ, ut eruditè proſequitur B. Proſper lib. 4. de vocat. gen. c. 9.

Gen. 22. Jerem. 31. Ezech. 36.

ASSERTIO II.

Deus poſt prævisum peccatum originale habuit voluntatem dandi Adamo & toti ejus Poſteritati ſufficientia media contra peccata, & auxilia ad conſequendam vitam æternam, ergo dat illis ſufficiens auxilium ut poſſint reverti.

CENSURA.

Quamvis locutio de ſufficienti auxilio tolerari & excuſari aliquo ſenſu poſſit, quia videlicet nunquam Dei beneficia mundo defuerint, quibus ſi adulti benè uſi fuiſſent, pervenire ad ſalutem potuiſſent, propriè tamen & exactè loquendo, quia (ut & ipſi fatentur) id ſolùm ſufficit

c. 4. q. 3. in excerptis §. 1.

præ-

præter quod aliud neceſſerium non eſt, rectiùs veriùſque dicitur non fuiſſe toti Adæ poſteritati ſufficientia ad ſalutem auxilia data, imò ne Judæis quidem ſub veteri adhuc teſtamento conſtitutis: Non enim dicendum eſt legem eis ad juſtitiam ſuffeciſſe, quam propter infirmitatem ac inutilitatem ſuam reprobatam fuiſſe Apoſtolus teſtatur, quâ tamen ſi benè uſi Judæi fuiſſent, ad ſalutem pervenire potuiſſent. *Hebr. 7.*

ASSERTIO III.

Tota Scriptura plena eſt præceptis & exhortationibus, ut peccatores convertantur ad Deum: Atqui Deus non præcipit impoſſibilia, ergo dat illis ſufficiens auxilium ut poſſint converti.

CENSURA

Secus Tridentinum Concilium; *Deus,* inquit, *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Sentit ergo ad Dei implenda mandata non habere ſemper omnes ſufficiens auxilium, ut quiſquis hoc ſibi deeſſe ſenſerit, petere admoneatur quod nondum accepit. Cui ſimile eſt & illud Proſperi, *ideo dari præceptum ut præcipientis quæratur auxilium.* Ex quo intelligi poteſt, ut nihil *Seſſ.6.c.11.* *Epiſtola ad Demetr.*

præcipi dicatur impoſſibile, ſatis eſſe, ut in Dei virtute ac bonitate ſufficens ſit paratum auxilium, quô impleri, quod jubetur, poſſit, etiamſi nullum adhuc ejus habeatur beneficium, quod dici ſufficiens queat. Nam quantumcùmque in Dei hoc repoſitum potentia ſit, & ex ejus bonitate petentibus paratum, quandiù tamen donatum acceptùmque non eſt, dici nondum poteſt haberi.

ASSERTIO IV.

Dices Deum quidem omnes vocare ad pœnitentiam, ſed non ſecundum propoſitum, aut non illâ vocatione, quæ eſt ſine pœnitentia.

Reſpondeo, hoc videtur alienum à bonitate Dei, quia non hoc eſſet ſeriò, ſed deluſoriè vocare, ſi vocaret aliquem non ex intentione ut convertatur. Auguſtinus autem (ut in ſcholio additur) propoſitum Dei accipere videtur, ut idem ſit quod illo modo quo novit illum ſecuturum.

CENSURA.

Nulla Dei vocatio deluſoria eſt, neque enim aliâ fit ullâ intentione ac fine quàm ut convertatur quiſque aut converti poſſit. Non enim vocatur quiſquam

à Deo,

à Deo, niſi ut ſic adjutus & commonitus converti poſſit ac debeat, & ſi vocanti non obtemperet, inexcuſabilis habeatur. Seria ergo omnis Dei vocatio eſt. Docetur tamen ab Auguſtino juxta doctrinam Apoſtolicam, quod non omnis Dei vocatio ſecundum æternæ ſit prædeſtinationis propoſitum, quemadmodum clariſſimè expreſſiſſimèque ſcribit lib. 1. retract. c. 23.

Non omnium, inquit, *qui vocantur vocatio eſt ſecundum propoſitum, ſed tantum electorum, quia non omnes ſic vocantur ut eis ſit ad æternam ſalutem profutura vocatio. Multi enim vocati, pauci verò electi, & crediderunt Paulo qui præordinati erant ad vitam.* Commentarius autem ille de intellectu Auguſtini prorſus nec ipſi, nec Apoſtolo congruit. Non enim hoc eſt vocari ſecundum Divinæ voluntatis propoſitum, ſed ſecundum nudam præſcientiam eamque conditionatam, quomodo etiam multi non electi vocantur, neque hoc tam eſt ſecundum Dei propoſitum vocari, quàm hominis, quod præſcit Deus.

Lib. 2. cont. duas Epiſtolas Pelag. c. 9. de corr. & gratia cap. 7. de Prædeſt. ſanct. c. 16.

ASSERTIO V.

Jubentur omnes baptizari, ergo Deus quantum in ipſo eſt vult omnibus dare gratiam baptiſmi.

CEN-

Digitized by Google

CENSURA.

Argumentum nullius momenti, ſicut enim non vult Deus dare omnibus gratiam ſuam voluntate beneplaciti; ita non vult omnes nec baptizari. De illa enim ſcriptum eſt voluntate. *Omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra.* Non ergo aut baptiſma aut gratiam deeſſe cuiquam paſſus fuiſſet, ſi ea bona ſic omnibus voluiſſet. Baptizari autem vult omnes voluntate ſigni, quæ in præcepto eſt, quod poſt promulgationem non obligat niſi adultos. Quod autem hujus prædicationis miniſterium non omnibus populis ne novi quidem teſtamenti tempore ſemper adhiberi voluerit, patet ex actis ubi Paulus & Sylas vetantur à Spiritu Sancto verbum Dei in Aſia loqui, & cùm tentarent ire in Bythiniam, non permiſit eos Spiritus JESU. Quomodo baptizari ergo tunc eos voluit, quibus ne prædicari quidem permiſit?

Pſal. 134.

Actor. 16. *Proſp. Epiſtola ad Ruſfin. & reſp. ad 4. object. Gallorum.*

ASSERTIO VI.

Hunc locum, Deus vult omnes homines ſalvos fieri, id eſt, vult omnes ſalvos fieri qui ſalvi fiunt, non videtur exponere Auguſtinus ſecundum intentionem Apoſtoli, & ſex ampliuſque argumentis dicta interpretatio oppugnatur.

1. *Tim.* 2. *Epiſt.* 107. *& de prædeſt. ſanct. c.* 8.

CEN-

CENSURA.

Mirum cur, diſſimulatis aliis pluribus loci hujus apud Auguſtinum interpretationibus, una hęc potiſſimùm accepta ſit, quæ tam operosè oppugnaretur, niſi quia fortè ad expugnandum viſa opportunior eſt, quâ eversâ, alteri quæ Maſſilienſibus potiſſimùm placuit certior aditus muniretur, eâque deindè periculoſo dogmati fundamentum ſterneretur: Cùm tamen illa ipſa Auguſtini interpretatio nec à ſcripturarum ſit conſuetudine aliena, nec ſenſui Apoſtolico malè congruat. Cùm enim pro omnium ſalute fundi orationem B. Paulus voluiſſet, quid inconveniens ſi hoc ideò faciendum ſubjunxit, quia Dei donum ſit hominum converſio, & nemo ſalvus fiat, niſi quem ille ſalvum gratiæ ſuæ propoſito fieri voluerit. Propterea enim pro infidelibus ut convertantur orat Eccleſia, quia fidem & pœnitentiam à Dei dono & gratia pendere non dubitat. Sed neque hanc expoſitionem (ut ſcholium adjectum ſignificat) vel D. ipſe Auguſtinus vel Proſper tanquam minus conſentaneam uſquam corrigit, tametſi B. Auguſtinus, ut paulò ante indicabamus, alias plures proponat, & Proſper ſic alicubi locum tractet, ut ad omnes

Ezech. cap. 103. de cor. & gratia c. 14. & 15. lib. 2. de vocat. gen. c. 25.

omnes pertinere poſſit, ſed quo ad generalem quandam Dei benignitatem, non autem ſpecialem, ut loquitur, Dei miſericordiam.

ASSERTIO VII.

Deus voluit dare Chriſtum in redemptionem pro omnibus nullo excepto, ergo omnibus præparavit ſufficientia remedia per Chriſtum. Prob. conſ. quia eatenus eſt Chriſtus omnium Redemptor, quatenus per ipſum dantur omnibus ſufficientia auxilia quibus reſurgant à peccatis, ſi enim non darentur ſufficientia, verus non eſſet eorum redemptor, quia neque quoad ſufficientiam, neque quoad efficaciam.

CENSURA.

Non diſſimilis erat olim Maſſilienſium ratiocinatio, ſed cui ſic reſpondendum; Chriſtus Redemptor eſt omnium quoad pretii ſufficientiam, quia merito ſanguinis ejus omnes à peccatis liberari poſſent ſi crederent. Non eſt autem redemptor omnium ſecundum efficaciam, quia non omnibus per eum datur ut credant, ut enim infidelis credat præter prædicationis beneficium, neceſſarium eſt gratiæ ſpecialis donum, quo fiat, ut prædicationi conſentiat.

AS-

Digitized by Google

ASSERTIO VIII.

Ut peccator poſſit converti non eſt neceſſarium ut recipiat utrumque auxilium (præveniens ſcilicet & concomitans) in actu ſecundo, ſed ſatis eſt ut accipiat auxilium præveniens in actu ſecundo, & tunc verè habet auxilium ſufficiens ad actualem converſionem.

CENSURA.

Hæc aſſertio & ſcripturarum & D. Auguſtini de ſpeciali Chriſti gratia doctrinam videtur evertere, quæ habet, cor lapideum per eam gratiam auferri, & carneum tribui, nec ſolam poſſibilitatem, ſed ipſam voluntatem operationemque conferri. Nam excitans illa gratia quæ in aſſertione per præveniens auxilium in actu ſecundo intelligitur, non aliud eſt, quàm interior quædam Dei ſuaſio, quæ ut vehementior ſit, magiſque quàm exterior commoveat, & imperfecta quædam deſideria ſeu velleitates excitare poſſit, cordis tamen converſionem non operatur, quin conſiſtere cum eâ gratiâ tota ipſius cordis durities rebellioque poteſt; ſuadet ergo tantùm, non perſuadet, adiuvatque, ſed hactenùs tantùm ut benefacere quiſque poſſit ſi velit, non

autem

autem ut abſolutè velit ac benè operetur bonuſque ex malo fiat. Non igitur ſpecialis hæc Chriſti eſt gratia, cui proprium id eſſe evidentiſſimis verbis Auguſtinus ſcribit, ut non ſit bonis maliſque communis, ſed bonos diſcernat à malis, atque, ut alibi ait, à duro nullo corde reſpuatur, quoniam per eum ipſa cordis durities auferatur. In quâ fideliter agnoſcendâ, quid à Pelagio idem olim poſtularit, operæ pretium fuerit ex ejus hic verbis ſubjicere. *Quantum attinet*, inquit, *ad iſtam de Divina gratia & adjutorio quæſtionem, tria iſta quæ Pelagius apertiſſimè diſtinxit, attendite, poſſe, velle, eſſe, id eſt, poſſibilitatem, voluntatem, actionem; ſi ergo conſenſerit nobis, non ſolam poſſibilitatem in homine, etiamſi nec velit nec agat benè, ſed ipſam quoque voluntatem & actionem, id eſt, ut benè velimus & benè agamus, quæ non ſunt in homine niſi quando vult, & benè agit. Si ut dixi, conſenſerit, etiam ipſam voluntatem, & actionem divinitùs adjuvari ut ſine illo adjutorio nihil benè velimus & agamus, eamque etiam gratiam Dei per Ieſum Chriſtum D. N. in qua nos ſuâ, non noſtrâ juſtitiâ juſtos facit, ut ea ſit vera noſtra juſtitia quæ nobis ab illo eſt, nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror inter nos controverſia relinquetur.*

De prædeſt. ſanct. c. 5. ibid. c. 8.

De gratia Chriſti c. 47.

AS-

ASSERTIO IX.

Concomitans concurſus ſpecialis ſeu ſupernaturalis ita præparatus eſt peccatori, ſicut concurſus naturalis & generalis præparatus eſt potentiæ naturali, verbi gratia potentiæ videndi; & infra. Deus non dat ipſa opera bona, niſi quatenus per gratiam prævenientem dat nobis auxilium ſufficiens & paratus eſt dare concurſum gratiæ concomitantis in actu ſecundo ſi velimus.

CENSURA.

Hæc aſſertio ſpecialem cooperantemque Chriſti gratiam, quam nobis ſcriptura commendat, & de qua Auguſtinus diſputat, obſcurare conatur per concomitantem quendam concurſum, quem ſpecialem ſeu ſupernaturalem appellat, generali & naturali ſimilem; cùm iſtud qualecùmque concomitans auxilium bonam ipſam voluntatem operationemque non tribuat, non magis quàm generalis ille concurſus videre vel ambulare nos facit, niſi videre ipſi ex nobis ambulareque voluerimus. Deinde concomitans iſtud auxilium, etiam ante lapſum, primis fuit hominibus neceſſarium, ſine quo adeòque nec Angeli quidem ſancti etiamſi

Digitized by Google

vellent perſeverare poſſent. Ubi ergo illa eſt propria lapſorum gratia, quam Paulus prædicat operantem in nobis velle & perficere? quam Propheta commendat cor auferentem lapideum & carneum tribuentem, facientem ut faciamus & in præceptis divinis ambulemus? Non ergo concurſus ille divinus ea Chriſti gratia eſt quam nobis Prophetica ſcripta promittunt atque Euangelica commendant. B. ſanè Auguſtino ne per ſomnium quidem unquam in mentem venit, nec tam mentis inopem fuiſſe putamus Pelagium, ut hoc divini concurſus concomitans auxilium ad bona opera omnia neceſſarium, fuerit negaturus. Cæterùm quod iſtud concomitans auxilium coloris cauſâ velut ſpeciale quiddam & ſupernaturale commendatur, fruſtrà id ac ſuperfluè fit, cùm generalis ille divinæ providentiæ omnia comprehendentis concurſus, ad ſupernaturales etiam virtutum effectus, nè in iis producendis fruſtraneus ſit efficacis voluntatis conatus, abundè ſufficiat, per quem ut videre poſſumus & ambulare ſi volumus, cur non & credere benèque operari ſi velimus?

Philip. 2.

Ezech. 36.

ASSERTIO X.

Auguſtinus ubicùmque dicit nos non

tantum

tantum gratiâ egere quâ poſſimus, ſed etiam quâ faciamus, intelligendus eſt de ſupradicto concomitante concurſu, quod ſcilicet non poſſimus facere ſine auxilio gratiæ concomitantis; alioqui dictum ejus non eſſet univerſaliter verum. Nam ut faciamus non requiritur efficax excitatio, que voluntatem infallibiliter determinet, qualis fortè fuit in Paulo, Magdalena, aliiſque nonnullis dum converterentur; ſed ſufficit multo minor, quæ pleniſſimam relinquat libertatem.

CENSURA.

Ridiculum eſt B. Auguſtinum de hoc naturali, ſeu ut ipſi appellant, ſupernaturali concomitante auxilio interpretari velle, quo prȩſtetur duntaxat nobis poſſe ſi velimus aut etiam velle ſi voluerimus, non autem præveniendo nos, operetur, ut velimus & faciamus. Quaſi in hac noſtra infirmitate non univerſaliter tam efficacem Dei gratiam poſtulet Auguſtinus, quæ humanam voluntatem infallibiliter determinet, quæque præponenda ut Domina ſit, non autem libero arbitrio ſubjicienda quaſi pediſſequa, & ſubſerviens ſi velit. Plana quippè eſt ejus doctrina lib. de corrept. & gratia, ubi talem gratiam non paucis quibuſdam ſanctis, ut Paulo, Magda- *cap. 12.*

lenæ, ſimilibuſque propriam, ſed omnibus omninò ſanctis ad piè vivendum facit neceſſariam, ut iſto ſcilicet modo humanæ voluntatis infirmitati, quâ omnes laborant, ſubveniretur, eàmque à primi hominis gratia accuratè diſtinguens, non ſolùm ei tribuit poſſe ſi velimus, ſed facere etiam ut velimus. Cæterùm ſi ſancti illi quibus tam efficax tributa eſt gratia, minore propterea ſunt libertate converſi, ſanè minorem etiam converſionis ſuæ laudem apud Deum hómineſque merentur, quàm alii multi, qui majore ſunt voluntatis ſuæ libertate converſi, quo eodem argumento Pelagiani olim efficacis gratiæ doctrinâ merita noſtra prætendebant everti.

Proſp. ad excerpta Genuenſium ad dub. 8.

ASSERTIO XI.

De dono perſev. c. 14.

Quod dicit Auguſtinus, eis qui non ſunt à perditionis maſſa ſegregati non adhiberi dicta vel facta divina per quæ poſſent credere ſi audirent ea vel viderent, cum grano ſalis accipiendum eſt, ut intelligantur non accipere in actu ſecundo illa auxilia cum quibus Deus noverat eos de facto convertendos, quod certiſſimum eſt de omnibus qui non convertuntur.

CEN-

Digitized by Google

CENSURA.

Rursùm hîc Auguſtini pervertitur ſententia, quaſi generaliter diceret, univerſis qui à perditionis maſsâ non ſunt ſegregati dicta ejuſmodi vel facta non adhiberi, cùm de quibuſdam ſe loqui tàntùm maniféſtiſſimè ſignificet. Deinde quod pro grano ſalis adhibetur, magis inſipidam reddit Auguſtini ſententiam, & ut ex antedictis liquet prorſus non congruit ejus propoſito.

ASSERTIO XII.

Ad illud quod ex cap. 6. de prædeſt. Sanctorum objicitur, ubi Auguſtinus docet hunc nolle credere, quia ejus voluntas non præparatur à Domino, quod tamen erat neceſſarium ut credere vellet: Reſpondetur valdè impropriè dici, quod is cui ſufficienter propoſita eſt fides, ideò nolit credere quia ejus voluntas non præparatur à Domino.

CENSURA.

Nec hoc aſſerit Auguſtinus quod hîc ei imponitur, propterea videlicet quoſdam non credere, quia non eis præparatur voluntas à Domino, ſed aliud nihil colligi ex ejus verbis poteſt, quàm iis

Digitized by Google

qui non credunt, voluntatem à Domino non præparari, idque juſto judicio fieri. Propriè ſiquidem ideò non credunt, quia credere nolunt: Qui tamen indubiè crederent, ſi & eis voluntas eſſet à Domino præparata. Quàm autem ſuperior loquendi modus Auguſtino non congruat, liquet ex libro de dono perſev. cap. 22. ubi hujuſmodi ſermonem his verbis rejicit. *Nec illud eſt omninò dicendum, qui in peccatorum dilectione remoramini, ideò necdum ſurrexiſtis, quia necdum vos adjutorium gratiæ miſerantis erexit.* Nam ut idem alibi ait, *nullius culpæ humanæ in Deum rejicienda eſt cauſa.*

Lib. 2. de peccat. mer. c. 17.

ASSERTIO XIII.

Eſt quoddam perſeverantiæ donum conſiſtens in quodam ſpeciali auxilio & protectione, quâ Deus ita protegit, & munit quoſdam ut ferè indeclinabiliter & infallibiliter in gratia perſeverent uſque ad mortem, quod quibuſdam conceditur, ut fortè Apoſtolis poſt acceptum S. Spiritum & (ut in ſcholio additur) iis qui dicuntur confirmati in gratia. Aliud eſt perſeverantiæ donum, quod conſiſtit in quodam auxilio & protectione quâ Deus ita adeſt, ut poſſint in gratia perſeverare ſi velint, & hoc donum eſt neceſſarium ad ſalutem, & datur omnibus juſtis immediatè in actu primo.

CEN-

Digitized by Google

CENSURA.

Hanc duplicis doni perſeverantiæ in hominibus lapſis diſtinctionem unius, quo perſeverari poſſit etiamſi non perſeveretur, alterius, quo in finem uſque actu perſeveretur; nec ſcriptura, nec Auguſtinus agnoſcit, ſed unum illud duntaxat, quo perſeverandi poſſibilitas cum ipſo ſit perſeverandi actu conjuncta. Etenim inter perſeverantiæ donum primis hominibus tributum, & id quod nunc infirmis datur, hoc facit Auguſtin. diſcrimen, quod illis datum ſit auxilium ſine quo perſeverare, etiamſi vellent, non poſſent; nunc verò tale detur, quo fiat, ut perſeverent. Sed neque Trid. Concil. ubi de hoc argumento ex profeſſo agit (quanquam diverſum in ſcholio ſignificetur) alterius generis perſeverantiam agnoſcit, dum perſeverantiæ donum abſolutâ certitudine quenquam ſibi polliceri vetat, cum tamen juſtus quilibet abſolutè certus ſit adfuturum ſibi Deum ut perſeverare poſſit, ſi velit. Cæterùm nec ſcripturæ, nec D. Auguſtini doctrinæ conſentaneum eſt, quod hic aliqui ſtatuantur in gratia confirmati, & mutabilitatis periculo minimè obnoxii, quaſi quibus præſens gratia ad perſeverandum ſufficiat: Cùm ad omnes perti- *Seſſ.6.c.13.*

Digitized by Google

1. Cor. 10. Mat. 26. neat illud : *Qui ſtat videat ne cadat* : *Vigilate & orate ne intretis in tentationem* , omneſque propter ſuam infirmitatem ſpecialibus atque aſſiduis gratiæ auxiliis neceſſe ſit & regi & protegi. Non tamen negaverimus eos qui adverſus tentationes perſtant invicti, ad id gratiâ Dei corroborari, & confirmari, alioſque eſſe aliis firmiores, Rom. 13. juxta quod Apoſtolus ait : *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere*; quam quiſque gratiæ firmitatem petere frequenter, quantumlibet juſtus, debet, cum Pſalm. 50. Propheta dicens, *Spiritu principali confirma me*, ut à quo confirmari potius quotidiè, quàm ſemel confirmati cenſeri debemus, ob hoc quod noſtræ confirmationis gratiam non tam habeamus in nobis permanentem, quàm per quotidianum Dei auxilium accipiamus deſuper illabentem.

ASSERTIO XIV.

Indurati & excæcati habent ſufficiens auxilium ex parte Dei ut convertantur : & infra. Omnes infideles ſemper & ubique habent ſufficiens auxilium ad ſalutem ex parte Dei.

CENSURA.

Mirum eſt iſtud non de infidelibus modò, ſed de induratis etiam & excæcatis

tis dici, cum hæc ipſa obduratio, atque excæcatio à ſuperni auxilii & divinæ lucis interclusione deſertioneque deſcendat: quomodo id ergo auxilium haberi ab iſtis ſufficiens poteſt? At verò cùm certum ſit non præſtari à Deo ejuſmodi hominibus gratiam eam quæ cor lapideum, & cæcitatem auferat, manifeſtum eſt eos non haberi ſufficiens auxilium ut convertantur, cùm ſine jam dicta gratia nullum eis auxilium ſufficiat, ſive illa exterior ſit etiam cum miraculis prædicatio, ſive interior per Spiritum timoris concuſſio aut velleitatis etiam cujuſdam inſpiratio; unde Eccleſia non ſolùm pro incredulis omnibus orat, ut credant, fideique illis Deus oſtium aperiat, verum etiam ut rebelles eorum ad ſe compellat propitius voluntates. Quid autem orando petit, niſi auxilium gratiæ quod ſufficienter non habetur; (ſiquidem inſufficientiæ & indigentię argumentum oratio eſt) niſi fortè ut facilius fiat, quomodo elabi olim Pelagius conatus eſt? *In ſecreta Domin. 4. poſt Pentecoſt.*

ASSERTIO XV.

Omnia loca Scripturæ S. quæ ſignificant, eſſe impoſſibile quoſdam converti, intelligenda ſunt, ut impoſſibile accipiatur pro eo, quod eſt valdè difficile.

CENSURA.

Certum eſt locis quibuſdam non difficultatem; ſed impoſſibilitatem ſignificari, ſed reſpiciendo ad ſolas naturæ vires; ut, *ſi poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, ſic vos poteritis benè facere cùm didiceritis malum*, &, *non poterat mutari naturalis malitia eorum*, &, *nemo poteſt corrigere quem Deus deſpexerit*, &, *non poterant credere*, &, *ſine me nihil poteſtis facere*, &, *quod impoſſibile erat legi*. &c. Ubi ſi impoſſibile idem eſt, quod difficile, ſequitur, quod ex lege quidem potuerit eſſe juſtitia, & ſine Chriſto, ſed ejus obtinendæ facilitas per Chriſtum ex gratia, quomodo olim ſcripturas ejuſmodi eludere Pelagius ſolebat.

Hier. 13. *Sap. 12.* *Eccleſ. 7.* *Ioan. 12.* *Ioan. 11.* *Rom. 8.* *Aug. Epiſt. 106. fol. 132.*

ASSERTIO XVI.

Parvuli ex parte Dei habent remedium ſufficiens contra peccatum, præſertim in nova lege. Nam Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, & pro omnibus inſtituit ſacramentum in remedium peccatorum, nemine excepto. Atque id (*quod in ſcholio additur*) ex Epiſtola B. Cypria. 59. ſatis apertè colligitur.

CENSURA.

Ex eo quod Chriſtus pro omnibus eſt parvulis mortuus, & baptiſmum inſtituit,

tuit, non rectè colligitur ſufficiens eos contra peccatum habere remedium. Ut enim dicit Proſper, *non ſufficit hominum redemptioni crucifixum eſſe Dominum Chriſtum, niſi commoriantur, & conſepeliantur ei in baptiſmo.* *Ad 9. cap. Galiorum.* Et quanquam dici poſſit ſufficiens pro parvulis inſtitutum remedium, dici tamen non poteſt, id eos habuiſſe, quod nec in ſua, nec in ſuorum habuerunt poteſtate. Ad Cyprianum verò quod attinet, non modò non ſatis apertè ſed ne tenuiter quidem, colligi ex eo contrarium poteſt.

ASSERTIO XVII.

Quod applicatio talis remedii (Baptiſmi videlicet) his vel illis ob aliqua impedimenta occurrentia fiat impoſſibilis, non eſt Deo imputandum, quia non ordinat, ut non poſſit applicari, vel ut talia impedimenta occurrant, ſed tantùm permittit ſecundum communem curſum rerum, ſicut permittit peccata.

CENSURA.

Satis manifeſtum eſt quorundam parvulorum baptiſma mortis celeritate impediri; nec dubium videtur, quin mors talis Deo ſit imputanda. De quo generaliter ſcriptum eſt, quod vita & mors à

Digitized by Google

Eccleſ. 11. 1. Reg. 2. Math. 10. Deo ſint; quod mortificat & vivificat; quod ſine ejus voluntate nec pilus de capite, nec folium de arbore defluit, nec in terram paſſerculus cadit, quantò minùs anima rationalis? Id quod tunc apparet clarius, quando talis mors nullo hominum procurante, ſed per naturales accidit cauſas, (vel ut ſaxo deſuper cadente, aut lupo rapiente) quas Deus ordinat, ſuâque providentiâ regit. Unde perſpicitur tale ſalutis impedimentum Dei judicio veriſſimè imputari. Ideoque B. Auſtinus: *Cùm parvulorum*, inquit, *alii baptizati, alii non baptizati vitæ hujus terminum finiunt, ſatis indicant miſericordiam & judicium*; miſericordiam quidem gratuitam, judicium debitum. Et rurſus, *utriſque*, inquit, *noſtrum profundum ſit, cur, & in majoribus, & in minoribus, Deus velit alteri, & nolit alteri ſubvenire*. Et alibi, *cur providentia Dei, cui noſtri capilli numerati ſunt, ſine cujus voluntate non cadit paſſer in terram, quæ nec fato premitur, nec fortuitis caſibus impeditur, nec ullâ iniquitate corrumpitur, ut renaſcantur ad hæreditatem cæleſtem, non conſulit omnibus parvulis filiorum ſuorum, & nonnullis conſulit etiam parvulis impiorum?* Et infra: *Nimiæ vanitatis & cæcitatis ſunt, ſi etiam iis conſideratis nondum dignantur exclamare nobiſcum: O altitudo divitiarum, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus!* Quo pertinet

De prædeſt. ſanct. c. 14.

lib. 4. contr. Iul. c. 8.

Epiſtola 105.

Lib. 2. de vocat. gen. c. 22.

net & illud Proſperi. *Iuſta & omnipotens providentia Dei ſic indeſinenter univerſa dijudicat, ut nemo in hunc mundum veniat, nemo ex hoc mundo diſcedat, niſi eo ortu atque diſceſſu, quem rerum arbiter ſecundum altiſsimam ſcientiam ſapientiamque ſuam diſcernit, ſicut ſcriptum eſt in lib. Iob. Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit, in cujus manu anima omnis viventis & ſpiritus univerſæ carnis hominis? Non debent itaque mortes parvulorum ante baptiſma naturali rerum curſui*, aut, *parentum negligentiæ ſic tribui, ut nihil ibi ſuperna Dei agant judicia, ne res humanas in parvulis, non divinâ providentiâ, ſed fortuitis agi caſibus* (ut inquit Auguſtinus) *opinemur.* Unde ſatis intelligitur argumentum B. Auguſtini & Proſperi, ex parvulorum cauſa ductum, ſolutum nondum eſſe, ſed invictum permanere. Et hæc quidem paulò diligentiùs tractanda putavimus, quod errorem redolere videantur circa divinam rerum in particulari providentiam, quando & alibi ita provideri ſolùm à Deo rebus univerſis volunt, ut eas naturalibus quidem facultatibus potentiiſque inſtruxerit, per quas congruentes naturæ ſuæ motus, actiones, & opera producere, & ad deſtinatos ſibi fines pervenire poſſent, quibus ipſe quidem generali concurſu adſit, & cooperetur. Ea tamen non item ſingulatim præordinarit, atque decreverit,

Iob. 12.

De dono perſev. c. 12.

Ad q. 22. art. 2. propoſ. 2.

rit, ſed rem quamque ſibi permittens, exire tamen in actus motuſque permittat naturæ cuique ſuæ, prout res, occaſio, tempuſque tulerit, conſentaneos: Alioquin enim rerum contingentiæ non parum detrahendum, immò verò nimis eſſe Deo indignum, ſi hæc omnia efficaciter ab eo præordinata dicantur, cùm frequenter indifferens ſit ad Dei honorem, mundi perfectionem, hominum utilitatem, num hoc an alio modo fiant. Quin & boum, culicum, guttarùmque numerum prævïſum à Deo agnoſcunt, providentiâ tamen ejus diſpoſitum ac præordinatum negant, quia videlicet valdè Deo videatur indignum, ejus providentiam ad has etiam minutias velle deducere. Quod ſanè ab abſurdo petitum argumentum Gentiles olim contra Dei providentiam particularem uſurpare ſolitos ex veteribus conſtat. Et ſi quid valere putetur, tum ſic ad iſtam arctamur ſententiam, ut quod pluribus, ſanioribùſque auctoribus de providentia viſum eſt, tenere non liceat, ne quid ſcilicet indignum Deo adſcribatur. Nam neque D. Thomas, ſi attentè legatur, à communi illa ſententia diſceſſiſſe comperietur.

1. Part. q. 23. art. 7. videatur idem q. 19. art. 8.

AS-

ASSERTIO XVIII.

Omnes infideles ſemper, & ubique habent ſufficiens auxilium ex parte Dei, ſeu in actu primo. Si enim facerent quod in ipſis eſt, & quantùm poſſent ſecundum præſentem diſpoſitionem naturalem, vel ſupernaturalem quam habent, Deus illuminaret eos, ut credere poſſent vel converti.

CENSURA.

De ſufficienti auxilio ſatis ſuperque paulò antè diximus. Ad rationem verò ſubjunctam quod attinet, reſpondemus; quod quantumvis infideles faciant, quicquid ex naturali ſola diſpoſitione poſſunt, (nam ſupernaturalem cur hic addendam putaverint non videmus) nihil adhuc faciunt, quod ad æternæ ſalutis cauſam pertineat, quoniam Chriſtus ſuæ gratiæ neceſſitatem commendans, ſine me, inquit, nihil poteſtis facere, quod ad veram ſcilicet juſtitiam, & æternam beatitudinem proſit. Quanquam enim qualiſcùmque ejuſmodi ex naturali diſpoſitione infidelium conatus aut innocentia, minor ſit gratiæ ſuſcipiendæ indiſpoſitio, nulla ejus tamen Deo conferendæ provocatio, vel cauſa exiſtit: quod vel inde apparet,

quia

Digitized by Google

quia ſępiſſimè non modo Deum non quęrentibus, ſed & averſis, inimicis, rebellibus, nullis eorum præcedentibus bonis ejuſmodi ſtudiis, atque conatibus per Chriſtum donetur; aliis præteritis, in quibus major etiam naturalis ejuſmodi innocentia, & quaſi juſtitia quædam eluxerit. Sanè diverſa ſententia non ſatis recedere videtur ab illo toties damnato dogmate, Dei gratiam ſecundum merita noſtra dari.

ASSERTIO XIX.

Qui invincibiliter ignorat fidem, tenetur ad præcepta naturalia, id eſt, ad Decalogum, ergo habet auxilium morale ſufficiens ad illa explenda, quia Deus neminem obligat ad impoſſibile; alioquin videtur accedere ad ſententiam hæreticorum, qui dicunt, per peccatum originale amiſſum liberum arbitrium ad bonum.

CENSURA.

Obſervatio Decalogi quin ſit infidelibus poſſibilis non eſt dubitandum; ſed ſic poſſunt implere ſalubriter Deo juvante, ut & credere Deo illuminante. Nec verò hinc ſequitur ad benè faciendum liberum eſſe amiſſum arbitrium, quandoquidem adjuvante & illuminante Deo nemo

mo niſi per liberum arbitrium, benè operatur. Manſit ergo liberum arbitrium, & ad bonum, & ad malum, ſed ad malefaciendum, ſibi ex ſe ſufficit, ad benefaciendum verò neceſſe eſt ejus gratiâ adjuvetur, qui dicit: *Sine me nihil poteſtis facere*.

ASSERTIO XX.

Sententia, quæ dicit eos qui ſalvantur, non efficaciter electos ad gloriam ante prævisionem bonorum operum, vel applicationis meriti contra peccatum, videtur maximè probabilis. Tenent autem hanc ſententiam omnes Patres Græci, adeò ut communiter dicatur ſententia Græcorum. Et in ſcholio. Quanquam diverſa ſententia Auguſtino tribuatur, non puto tamen eſſe Auguſtini. Nam ubi de hac re loquitur, non exprimit utrum loquatur de immediata electione ad gloriam, an de mediata quæ eſt ad gratiam. Item, an loquatur de electione abſoluta & efficaci, an de conditionata, id eſt, ſi gratiæ fuerint cooperati, quomodo intelligendas eſſe promiſſiones divinas docet Tridentinum Concilium ſeſſ. 6. Quod ſi tamen contraria ſentententia eſſet D. Auguſtini, non admodum referret.

Digitized by Google

CENSURA.

Satis palam eſt, non aliam Auguſtinum electionem agnoſcere, quàm abſolutam & efficácem, non quæ liberi arbitrii cooperationem excludat, ſed quæ, naturali etiam ſervatâ libertate, ut cooperemur, efficiat. Neque verò Tridentinum uſquam Concilium conditionatam eſſe docet promiſſionem, faciam ut in præceptis meis ambuletis, & mandata mea cuſtodiatis & operemini, aut alias ſimiles. De diſſidio verò, quod hîc inter Græcos Latinòſque ſignificatur, deque B. Auguſtini in hoc argumento auctoritate, in præfatione abundè dictum eſt.

ASSERTIO XXI.

Deinde probatur aliis pluribus teſtimoniis, Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam ergo corona poteſt amitti. Cui reſpondet Auguſtinus c. 13. de corr. & gratia: ſcripturam ita loqui, non quod corona poſſit amitti, ſed ut homines ſtent in timore.

Apoc. 3.

CENSURA.

Apparet hunc Auguſtini locum, quod nimis hîc frequenter contigit, ex aëre magis, quàm ex ipſa loci inſpectione citari.

Digitized by Google

tari. Tantùm enim abeſt ut Auguſtinus ibi dicat, coronam amitti non poſſe, ut ſignificet etiam quoſdam amittere. *Si enim alius*, inquit, *non eſt accepturus, niſi iſte perdiderit, certus eſt numerus electorum, qui alterius videlicet ſubſtitutione ſemper compleri debeat.* Scripturam ergo eam intelligit ibi Auguſtinus de non perſeveraturo, cui ſecundum præſentem juſtitiam quidem corona ſit debita, ſed quam defectione juſtitiæ perdere mereatur; quam proinde, ut electorum numerus conſtet, alteri ſit neceſſe donari. Addit tamen ibidem Auguſtinus, quod quoties ejuſmodi ſcripturæ etiam perſeveraturis accommodantur, non id fiat prædeſtinationis ac perſeverantiæ velut ſuſpenſo incerto, ſed quia ſic eos in timore ac ſolicitudine contineri expediat. Nam quanquam futurum non ſit unquam, ut prædeſtinati finaliter excidant, nec perſeverent; naturæ tamen ac voluntatis mutabilitate (quæ nunquam hîc ab eis auffertur) excidere ſemper & non perſeverare poſſunt. Ad hujus ergo inſtabilitatis ſuæ conſiderationem ſcripturis iſtis revocari, ut periculi memores, eò ſtudioſiùs advigilent, & viribus ſuis diffiſi, ſub Dei ſe protectione arctiùs contineant, quando hâc ipsâ timoris ſollicitudine prædeſtinationis in eis compleatur effectus; cadere

ergo ſemper atque excidere à corona, etiam electi, poſſunt, ſed adeſt eis in tentationibus potentiſſima Dei manus, ut etiam in caſum proni, lapſanteſque interdum & humanâ fragilitate jam ruituri, mox erigantur, & confirmentur, fiatque miro quodam modo, ut ſemper & labi & excidere poſſint, Deo tamen inter media eos pericula gubernante, ac protegente, nec labantur, nec excidant, ſed invictiſſimi, inſuperabileſque perſeverent.

ASSERTIO XXII.

In ſtatu innocentiæ ſufficiebat homini ad ſalutem gratia, quâ poterat perſeverare ſi vellet: ergo & nunc.

CENSURA.

Hæc ſententia, quæ habet, ſufficere nunc juſtis ad perſeverandum eam gratiam, qualis fuit primis parentibus data, & Maſſilienſium olim fuit, & directè ac ex profeſſo B. Auguſtini doctrinæ repugnat cap. 12. de corr. & gratia, & Eccleſiæ orationes evertit.

ASSERTIO XXIII.

Si electio eſt ad certum gloriæ gradum, igitur omnia opera juſtorum debent abſolutâ Dei voluntate eſſe præordinata, nec

Digitized by Google

nec poterunt aliter, nec aliud operari, quàm ſit à Deo præordinatum, quod eſt contra libertatem.

CENSURA.

Si ex abſoluta Dei voluntate, quâ quoſdam elegit, quos faceret in finem uſque perſeverantes, omniaque media ad ſalutem eorum præordinavit, ſequitur non poſſe hominem aliud bonum vel aliter (quod haud dubiè contra libertatem eſt & Catholicam fidem) operari: ergo B. Auguſtini doctrina non debuit à Celeſtino Pontifice, nec ſic quidem laudari, tanquam quæ nihil contra fidem haberet, (quomodo tamen ab eo laudatam ipſi agnoſcunt) ſed magis ut periculoſa, & perniciosa damnari: ſiquidem manifeſtè docet actualem in finem uſque perſeverantiam, ita ex Dei eſſe electione, ut eam Chriſto donante, nemo dicere audeat, forſitan non perſeverabit. Ut interim diſſimulemus, quod hâc eleganti ratiocinatione Deo quoque ipſi libertas ſua detrahatur. Ipſe enim abſolutâ voluntate omnia præordinavit ad mundi perfectionem pertinentia, ergo ſibi ipſi neceſſitatem injecit, nec aliud, aut aliter facere potuit. Quare talis ratiocinatio, non modò ut improbabilis, verùm etiam ut ſanæ

Epiſtola ad Galliæ Epiſcopos de cor. & gratia c. 2.

Digitized by Google

doctrinæ præjudicans, & adverſa, planè eſt fugienda.

ASSERTIO XXIV.

Martyria & afflictiones ſanctorum, quas patiuntur ab impiis, ſunt excellentiſſima media ſalutis ipſorum, ergo etiam hæc ante omnem præviſionem erant præordinata, quod eſt falſum, quia Deus non eſt auctor peccati.

CENSURA

Hæc ſi vera ſunt, non potuit ergo Deus abſolutâ voluntate nec Chriſti præordinare mortem atque martyrium, niſi peccati etiam crucifigentium auctor cogitetur. Atqui docet ſcriptura Chriſti mortem abſolutè fuiſſe à Patre decretam, juxta illud: *Convenerunt facere quæ manus tua, & concilium decreverunt fieri.* Et alibi, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Quod autem fecit ipſe, hoc facere ante diſpoſuit; vitare ergo juxta hanc ratiocinationem non poſſumus, quin peccati authorem fateri Deum debeamus. De Sanctorum porrò martyriis ſcriptum eſt; vobis datum eſt pro Chriſto, non tantum, ut in eum credatis, ſed etiam ut pro eo patiamini; Dei ergo donum Martyrium eſt, & quidem, ut Cyprianus loquitur, *de divina dignatione deſcendens.*

Act. 4.

Iſa. 53.

Philip. 1. lib. de mortal. & lib. 4. Epiſt. 6.

AS-

ASSERTIO XXV.

Ad illud Ezechielis, faciam ut in præceptis meis ambuletis, &c. Dico ibi ſignificari, Deum daturum abundantiorem gratiam in nova lege quàm in veteri, quâ fiet, ut re ipsâ plures ambulent in lege Dei, quàm in lege veteri. Non ergo illud, faciam ut ambuletis, ſignificat illum providentiæ modum per quem omnes infallibiliter ſervarent præceptum Dei. *Ezech. 36.*

CENSURA.

Hic Commentarius intentioni Prophetæ prorſus non congruit; non enim abundantiorem gratiam parciori opponit, ſed vitam ſanctam, ſceleratæ; & cor carneum, lapideo; planèque ſignificat, per novi teſtamenti gratiam Deum eſſe bonos homines effecturum, quos vetus teſtamentum propter ſui inſufficientiam (ut intelligi poteſt ex Epiſtola ad Hebræos c. 8.) relinquebat iniquos. *Vide Auguſtinum lib. de Prædeſt. ſanct. c. 11.*

ASSERTIO. XXVI.

Non eſt voluntas abſoluta Patris, ut omnes, quos ipſe dat filio, abſolutè ſalventur, ut patet Joan. 17. ubi dicit, quod ex illis quos dedit ei Pater perierit filius

perditionis, qui ſeipſum perdere voluit; Sed voluntas Patris eſt, ut omnes habeant ſufficientia auxilia, & non ſtet per ipſum quò minùs ſalventur.

CENSURA.

Si hic eſt ſchripturæ ſenſus; ergo univerſi homines, adeoque & reprobi omnes Chriſto donati ſunt, quod falſum eſſe conſtat ex Joan. cap. 17. ubi dicitur. *Non pro mundo rogo, ſed pro iis quos dediſti mihi*; vel ſanè qui dati ſunt Chriſto præ iis qui dati non ſunt, peculiare nihil habebunt: omnes enim habent ſufficientia ejuſmodi quæ putantur auxilia, & non ſtat per Deum quò minùs ſalventur. Cæterùm quod abſoluta ſit Patris voluntas, ut omnes Chriſto dati ſalventur, docet B. Auguſtinus lib. de Prædeſt. Sanctorum c. 16. & lib. de corr. & gra. c. 14. ubi inter cætera his utitur verbis, *Deo volenti ſalvum facere, nullum hominis reſiſtit arbitrium.*

ASSERTIO XXVII.

Hæc ſententia Apoſtoli, omnia cooperantur in bonum his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti, loquitur in genere de omnibus diligentibus Deum, non autem tantùm de illis qui erant prædeſtinati.

CEN-

CENSURA.

Huic intelligentiæ, non ſolum B. Auguſtinus, ſed ipſa quoque Apoſtoli verba manifeſtè repugnant, quibus ait, *omnia in bonum cooperari*. Certum eſt autem reprobis temporaliter Deum diligentibus poſteaque cadentibus, tentationes non cooperari in bonum, ſed in magnum malum, æternumque exitium. *Lib. 5. contra Iulia. c. 3. & alibi.*

ASSERTIO XXVIII.

In his verbis, Jacob dilexi, Eſau autem odio habui, per dilectionem non ſignificatur efficax ordinatio ad gloriam, ſed ad majora dona gratiæ, quæ non erant ex prævifis meritis. Quia enim ex Jacob naſciturus erat Chriſtus, voluit illi Deus, & ejus poſteritati maxima dilectionis ſigna oſtendere, quæ non oſtendit fratri ejus Eſau, ita ut comparatione Jacob & populi Iſraelitici, Eſau & Idumæi poſſint videri odio habiti. *Rom. 9.*

CENSURA.

Commentarius iſte prorſus ad Apoſtoli inſtitutum non pertinet, & ab Auguſtino aliorumque veterum interpretatione eſt alienus. Mirum eſt autem excogitandis hujuſmodi commentariis vano ſe

 homi-

homines labore torquere, & ob quid aliud, niſi quia *ſaluberrimæ veritatis*, ut Auguſtini verbis utamur, *retia metuant*.

Aug. Epiſtola 105.

ASSERTIO XXIX.

Si Deus, prævisſo originali peccato, abſolutâ voluntate conſtituit hunc hominem excludere à regno, vel admittere ad regnum ante omnem operum prævisſionem, ergo nullis operibus bonis vel malis poterit averti quod decretum eſt. Nam hæc ſuppoſitio divinæ voluntatis facta eſt independenter à libertate humana: ergo abſolutè neceſſarium eſt hominem damnari, poſito quod Deus illum reprobaverit, & ſpeciali providentiâ procurari debebit, ut in peccatis moriatur.

CENSURA.

Hæc ratiocinatio ſi convincit, ex eadem colligere licebit parvulos ante regenerationem morituros, abſolutâ neceſſitate damnari. Facta enim eorum reprobatio eſt independenter ab illorum voluntate propter ſolum originale peccatum. Aut ſanè dicendum erit eos non reprobari: quod eſt B. Auguſtini adeoque & ſcripturæ ſacræ doctrinam evertere. Nec verò quia tales parvulos Deus à regno ſuo decrevit excludere, idcirco medium eis

ad

ad damnationem procurare debet; hoc enim aliundè poſitum vidit, quia per unum hominem peccatum intravit in mundum. *Rom. 5.*

ASSERTIO XXX.

Numerus prædeſtinatorum non eſt certus ex præordinatione, quæ antecedit omnem præſcientiam operum.

CENSURA.

Evidens eſt Auguſtini doctrina, eaque Apoſtolicæ perquàm conſentanea, certum eſſe apud Deum prædeſtinatorum numerum, non ex antecedente operum præſcientia, ſed ex abſoluta & efficaci præordinatione, ubi ſi præſcientiam (ut in ſcholio ſignificatur) conditionatam intelligas, ut ex ea tota pendere prædeſtinatio putetur, jam nec ſecundum præſcientiam quidem certus erit Deo electorum numerus, ſiquidem conditionata præſcientia exempli gratia, ſi Dei gratiam acceptare homo voluerit, ſimpliciter præſcientia non eſt, ut quam habere quilibet etiam noſtrum poſſit. Ubi ſi quis dicat conditionis eventum ſimpliciter Deo præcognitum eſſe, rectè id quidem, ſed non hæc jam conditionata, ſed abſoluta præſcientia eſt, ex qua haud dubiè certus

apud

apud Deum eſt numerus, ſed ideò ex præſcientia, quia ex præordinatione. Neque enim ideò certum Deus electorum voluit numerum, quia talem præſcivit, ſed ideò præſcivit, quia voluit, atque præordinavit, ut ſalutem eorum, ita & omnem ſalutis modum ac ordinem.

ASSERTIO XXXI.

Quæ totius materiæ concluſio dicitur.

Hæc Sententia de prædeſtinatione & reprobatione maximè conſentanea eſt divinæ bonitati, ſcripturarum auctoritati, Patrum teſtimoniis, & naturalis rationis æquitati, in nulla re omnino Pelagio favens, & quàm longiſſimè à ſententia Lutheri & Calvini, & reliquorum hæreticorum noſtræ tempeſtatis recedens, à quorum ſententia & argumentis difficile eſt alteram ſententiam vindicare.

CENSURA.

Immò verò juſtiùs fortaſſe alius quiſpiam dixerit, Sententia hæc divinam bonitatem obſcurat; juſtitiam enervat; ſcripturis illudit; Patrum teſtimonia in ſenſus alienos detorquet; humanæ rationis corruptioni applaudit; humilitatis fundamentum evertit; precandi neceſſitatem

Digitized by Google

tatem non magnam relinquit; propriarum virium fiduciam ingenerat; in ſalutis negotio, quod præcipuum eſt, homini donat, quod minus, Deo; gratiam Dei libero arbitrio ſubjicit, ac ejus pediſſequam facit; in ſumma à Pelagio non ſatis procul abſcedit. Lutheri verò, Calvini, & reliquorum noſtræ tempeſtatis hæreticorum ſententiam, dum ab ea videri vult quàm longiſſimè recedere, potentiùſque debellare, magis etiam imprudens ſtabilit atque confirmat. Nam ſi non poſſumus, vel (ut ad mitigandam invidiam dicitur) difficile eſt ab eorum ſenſis & argumentis B. Auguſtini doctrinam vindicare, quis non videat, quanti jam ponderis & auctoritatis acceſſione hæreticorum ſententia roboretur.

De mandato DD. Decani & reliquorum Magiſtrorum S. Theol. Facultatis Univerſitatis Lovanienſis ſubſcripſit.

ANDREAS SASSENUS dictæ
S. Theol. Facultatis Bedellus,
ac Notarius Publicus.

Digitized by Google

Digitized by Google

CENSURA DUACENSIS.

ASSERTIONVM QVARVNDAM CENSVRA, Super quibus Reverendiſſimi in Chriſto Patres ac Domini, Illuſtriſſimus Dominus de Barlemont Cameracenſis, & Dominus Ioannes Hanchinus Mechlinienſis, Archiepiſcopi, nec non Dominus Guillelmus Damaſi Lindanus Gandenſis Epiſcopus, Sacræ Theologiæ Facultatis Duacenſis examen, diſcuſſionem, & Sententiam petiverunt, per eandem Sacræ Theologiæ Facultatem Vniverſitatis Duacenſis.

Et primum de Scriptura Sacra.

ASSERTIO I.

Ut aliquid ſit Sacra Scriptura non eſt neceſſarium ſingula ejus verba inſpirata eſſe à Spiritu Sancto.

CENSURA.

ASSERTIO temeraria, & ex qua incomparabilis illa dignitas & majeſtas, quam in ſcriptura Sacra propter authorem Spiritum Sanctum ſemper & agnoverunt, & religiosè reveriti fuerunt

Ec-

Digitized by Google

Eccleſiæ Doctores, multùm minui videtur. Teſtantur enim illi & docent ſcripturam, non modò (quod diſertè ab Apoſtolo dictum eſt) *divinitùs inſpiratam*: ſed & à Spiritu Sancto [a] *prolatam*, [b] *dictatam*, [c] *compoſitam & à Chriſto* [d] *conditam* eſſe, ejuſque [e] Scriptores fuiſſe velut calamos, quibus Spiritus Sanctus, tamquam primarius author & ſcriptor, ad eam nobis tradendam uteretur, juxta illud, lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Unde Sanctus [f] Ireneus ſcripturas perfectas eſſe pronunciat, propterea quod à Verbo Dei, & à Spiritu Sancto ejus ſint dictæ. Et Beatus [g] Gregorius de authore libri Job dicit, & ſcribit in hunc modum: *Sed quis hæc ſcripſerit valde ſupervacuè quæritur, cùm tamen author libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipſe igitur hæc ſcripſit, qui hæc ſcribenda dictavit; ille ſcripſit, qui & illius operis inſpirator extitit, & per ſcribentis vocem imitanda ad nos ejus facta tranſmiſit.* Deinde rem hanc ſimilitudine declarat: *Si magni cujuſdam viri epiſtolis ſuſceptis legeremus verba, eaque quo calamo ſcripta fuiſſent quæreremus, ridiculum profectò eſſet, ſi non Epiſtolarum, & authorem ſcire, ſenſumque cognoſcere, ſed quali calamo earum verba impreſſa fuerint, indagare ſtuderemus. Cùm ergo rem cognoſcimus, ejuſque rei Spiritum Sanctum authorem tenemus, quando Scriptorem quærimus,*

2. Theſſ. 3.
a Chryſoſt. hom. 49. in Ioan.
b Auguſt. in Pſal. 59.
c Chryſ. 26. in Gen.
d Auguſt. lib. de Civit. Dei cap. 3.
e Idem in Pſal. 44. Theod. præf. in Pſal.
f Lib. 2. contr. Hær. c. 47.
g Præf. in mor. c. 1.

quid

Digitized by Google

quid aliud agimus niſi, legentes litteras, de calamo perſcrutari? Sic Gregorius. Jam verò id quod dictatur, id non quomodocunque, ſed verbatim excipiendum ſcribenti ſuggeritur. Ob [a] quam cauſam, nec verbum, nec ſyllabam, nec apicem in ſcripturis otioſum aut ſuperfluum inveniri, frequenter & graviter Patres teſtantur. Hinc & in ſingulis etiam ſcripturarum verbis excutiendis, diligenter & religiosè inveniuntur occupati, ut myſteria inde aliqua eruant ſublimi Spiritus Sancti magiſterio non indigna. Unde hujuſmodi apud eos leguntur Sententiæ, nec [b] ſyllabam, nec apicem eſſe in litteris ſacris, in cujus profundo non ſit grandis quiſpiam Theſaurus; Intolerandam prorſus & grandem [c] blaſphemiam eſſe, ſi quis vel verbum aſſerat in ſcriptura inveniri otioſum; Singulos [d] ſermones, ſyllabas, apices, puncta, in divinis ſcripturis plena eſſe ſenſibus; Denique ſingula verba ſcripturarum, ſingula [e] eſſe Sacramenta. Ab illis porrò minimè diſcrepant hodierni Doctores, inter quos R. P. Gregorius à Valentia Societatis nominis Jeſu Theologus, in ſua analyſi fidei catholicæ [f] teſtatur nihil omninò in ſcripturis eſſe, quod peculiari Spiritus Sancti inſtinctu ſcriptum non ſit, idque patere ex communi etiam ſen-

a *Baſ. hom. 7. Hexam. Chryſ. hom. 8. 28. & 42. in gen. de verbis Iſ. vidi dominum. hom. 31. in Epiſt. ad Rom. hom. 49. in Ioan. & in illud Luc. 2. invenerunt Mariam & Ioſeph. Item Alex. Epiſt. 1. Remigius Pſ. 95. Procop. in Gen. Damaſc. l. 4. Orth. Fid. c. 26. Videatur quoque inter modernos fran. Turrianus Theologus Societatis N. Ieſu. l. 4. contra Magdeburgenſes c. 15. & in explic. lib. 5. conſtitution. Apoſt. c. 15.*

b *Chryſoſt. hom. 18. & 21. in Gen.*

c *Baſil. hom. 10. Hexam.*

d *Hier. ad Eph. 3.*

e *Idem in Pſal. 9.*

f *Parte 8. fol. 356.*

a *Fol.* 355. ſu fidelium. Et paulò poſt, [a] *Dubium eſſe non debet*, inquit, *quin omnes & ſingulæ Scripturarum particulæ ſint à Spiritu Sancto dictatæ & exaratæ.* Et R. P. Franciſcus Coſterus controverſiarum capite primo, ejuſdem Societatis Theologus in Enchiridio controverſiarum: *Sacræ litteræ dictatæ à Spiritu Sancto, nec iota unum, vel unum apicem habent, cui non inſit ſuum pondus & efficacitas.*

ASSERTIO II.

Non eſt neceſſarium, ut ſingulæ veritates & ſententiæ ſint immediatè à Spiritu ſancto ipſi ſcriptori inſpiratæ.

CENSURA.

Cùm Scriptura Sacra ſit Dei verbum, tanquam ore Dei prolatum, & Spiritu Sancto dictatum, ſitque eadem partium ſingularum, quæ totius, ratio; dubitari non debet, quin ſingulæ veritates & ſententiæ in ea contentæ, ſint à Spiritu Sancto immediatè profectæ, & Scriptoribus inſpiratæ: (non illæ tantùm quæ à [b] Prophetis & Apoſtolis, verùm etiam quæ ab aliis Scriptoribus Sacris editæ ſunt. Sicut enim Prophetis & Apoſtolis, vel per eos locutus eſt Dominus; ita generatim teſtatur [c] Auguſtinus Sacræ ſcripturæ Authòribus, vel per eos Deum locutum

b *Reg.* 2. *cap.* 23. *Luc.* 1. *Hebr.* 1. 2. *Petr.* 1. 2. *Cor.* 13.

c *Lib.* 18. *de Civit. Dei cap.* 41.

cutum eſſe, [a] quodque nihil aliud intueri oportet in Scripturis Divinis niſi quod per homines dixerit Dei Spiritus, ſed & alibi venerabilem ſtylum Spiritus Sancti vocat Scripturam ſacram, dicitque [b] ſacris ſcriptoribus *datam ſic eloquendi facultatem & illum texendi ſermonis modum quo uſi ſunt.* Nam ut in ſacris litteris multa occurrunt quæ ſuis ſcriptoribus per humanam ſcientiam, vel experientiam cognita eſſe potuerunt, quoniam tamen fallax eſt, aut certè longiſſimè infrà certitudinem verbi Dei ſubſiſtit omnis ſcientia & experientia humana, [c] neceſſarium fuit tales quoque ſententias ſeu veritates, ut ad Dei verbum pertinerent, non per humanum tantummodò Spiritum, ſed planè per divinam Spiritus ſancti motionem atque inſtinctum ab iiſdem Scriptoribus proferri. Sicut Chriſtus Dominus quamvis homo ſciens & experiens, nihilominus ſpiritu quoque divino dixit exempli cauſa: *Non eſt Propheta ſine honore niſi in patria ſua; Cæcus ſi cæco ducatum præbeat ambo in foveam cadunt*, & *Nonne duo paſſeres aſſe væneunt*, & alia ejuſmodi à ſenſibus ſimul & vulgo deſumpta. Quocircà idem generatim de Spiritu ſancto Apoſtolis ſuis promiſſo legitur: *Ille vos docebit omnia & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixi vobis*: ſi omnia, ergo & ea,

a *Lib.*

b *Lib. 12. Conf. c. 26. & lib. 1. de Conſenſ. Euang. c. 2.*

c *S. Thom. in 4. diſt. 14. de Propheta art. 2. q. 1. in Summa 2. 2. q. 171. art. 3. Vide etiam Ambroſ. & Bedam in illud Luc. 1. viſum eſt & mihi.*

Matt. 13.

Matt. 15.

Ioan. 14.

quæ poſt Aſcenſionem magiſtri in cælum, memoriâ fortè retinebant ab eo audita, & quæ aliquo modo poterant eis humano ac naturali modo eſſe nota. Undè Gabriel ſcribit : multas eſſe naturales veritates Apoſtolis à Spiritu ſancto ſuggeſtas. Nec pugnat cum divina Spiritus ſancti ſuggeſtione, quod liber aliquis canonicus non ſine labore, ac meditatione, & humana quadam ſit conſcriptus induſtria, quandoquidem non ſolùm ubi, ſed & quomodo vult ſoleat ſpirare Spiritus ſanctus. Atque hinc ut Chriſtus ipſe verè Deus omnipotens in quibuſdam peragendis operibus ſuis planè divinis & ſupernaturalibus nonnullam tamen molitionem interdùm adhibebat humanam & tardam, ita & in verbis ac librorum compoſitione, ſi ſcribere voluiſſet, laborem nonnunquam & meditationem, ſimulque induſtriam aliquam adhibere potuit humanam, quamvis interim Spiritus ejus humanus, itemque os, lingua, manus, digiti, perpetua quædam eſſent inſtrumenta divini Spiritus. Et ſanè ſi non eſt neceſſarium, ut ſingulæ veritates & ſententiæ, quæ ſunt in ſacris litteris, immediatè ſint à Spiritu ſancto ipſi ſcriptori inſpiratæ, non modò ſequetur indeterminabilis altercatio ſuper ſententiis immediatè

n. 2. diſt. 25. q. 1. dub. 2.

2. Machab. Eccli. 23. & 33.

mediatè vel non immediatè inſpiratis, verum etiam de integris Euangeliis (quorum hiſtoria potuit humanitùs eſſe nota) imò & de omnibus ſcripturis non Propheticis dubitabitur, an immediatè Spiritus ſanctus eas Scriptoribus inſpiraverit.

ASSERTIO III.

Liber aliquis (qualis fortè eſt ſecundus Machab.) humanâ induſtriâ, ſine aſſiſtentia Spiritus Sancti ſcriptus, ſi Spiritus Sanctus poſteà teſtetur ibi nihil eſſe falſum, dicitur Scriptura Sacra.

CENSURA.

Multò magis hęc quàm duæ ſuperiores, improbanda eſt aſſertio, tanquam manifeſti erroris periculum continens. * conſtat enim inter omnes, omnem Scripturam Sacram juxta Apoſtolum eſſe divinitùs inſpiratam, divinam eſſe doctrinam, quam, Spiritu Sancto inſpirante atque dictante, authores Sacri, litteris mandaverunt. Undè nec ſummorem Pontificum aut Conciliorum de rebus fidei decreta, ac definitiones ſcripto mandatæ, quamvis Spiritus Sanctus per Eccleſiam, nobis teſtetur ibi nihil eſſe falſum, Sripturæ Sacræ nomine umquam fuerunt comprehenſæ: adeò ut nec Symbolum Athanaſii,

** Gregor. à Valentia analy. fidei parte 8. pag. 333. vide etiam P. Coſterum in Controverſ. de Scriptura.*

ſii, quod tota decantat Eccleſia: nec illa Leonis ad Favianum Epiſtola cujus textum uſque ad unum jota in omnibus venerabiliter ſuſcipi Gelaſius Papa ſub Anathemate pręcipit, Scripturis Sacris, vel ab ipſo Gelaſio vel à poſterioribus fuêre annumerata; in quibus tamen pariter humanam induſtriam, & Spiritus Sancti aſſiſtentiam agnoſcimus. Quare multò minus ſi quis liber ſolâ humanâ induſtriâ, abſque Spiritus Sancti aſſiſtentia, ſcriptus fuerit, etiamſi poſteà teſtetur Spiritus Sanctus ibi nihil eſſe falſum, efficeretur Scriptura Sacra. Quod qui dixerit præter alia fateri cogetur ſingularem quampiam veluti Thucididis aut Livii hiſtoriam, ſi Spiritus Sanctus teſtetur nihil eſſe falſi in ea, Scripturam Sacram, ideòque & ſcripturam divinitùs inſpiratam effectum iri: eadem enim ſunt Apoſtolo Scriptura Sacra ſeu Sacræ Literæ, & Scriptura divinitùs inſpirata. Quapropter quum liber Machab. ſecundus (hoc enim exemplum etſi dubitanter in aſſertione interponitur) juxta Conciliorum definitiones, ſcriptura ſit verè canonica, divina, & ſancta: Fatendum quoque eſt quod ſit Scriptura divinitùs inſpirata, quodque, Spiritu Sancto inſpirante, à ſuo authore ſit editus; qualis dici nullo pacto poteſt, ſi humanâ tantum

Cap. 5. Roman. Eccleſia.

Rom. 1. 1. Tim. 3.

Rom. 1. & 1. Tim. 3.

Carth. 3. & Trid.

tum

tùm induſtriâ ſine aſſiſtentia Spiritus Sancti conſcriptus fuerit ; quantumlibet poſteà teſtatus dicatur Spiritus Sanctus nihil in eo falſi contineri. Quod ſi autem tale quid vel de uno Sacræ Scripturæ libro conceſſerimus, eâdem ratione & de multis aliis idem ſententire licebit, ac nominatim de Euangelio Marci, de quo Hieronymus commemorat eum, juxta quod Petrum referentem audierat, Euangelium ſcripſiſſe, idque Petrum, cùm audiſſet, probaſſe, & Eccleſiæ legendum ſuâ authoritate edidiſſe. Verùm cùm id non ſit ita accipiendum, quaſi Euangelii illius hiſtoria à Marco fuerit humano Spiritu conſcripta, & poſteà divino Spiritu per Petrum approbata; ſed ſic potiùs, ut Petrus intellexerit divinâ inſpiratione ſcriptum eſſe illud opus, ideòque ſuâ authoritate comprobavit, & Eccleſiis legendum tradidit. Cur non ſimile quid agnoſcimus in libro ſecundo Machab. & quovis alio Sacræ Scripturæ libro, cui Apoſtolus aliquis vel Eccleſia, authoritatem dederit: Non enim ideò inſpiratum aliquid divinitùs eſt, quia poſteà ſit approbatum, ſed ideò eſt approbatum, quia fuerat divinitùs inſpiratum: Neque enim approbatio ſeu teſtificatio Spiritus Sancti facit ipſum eſſe divinum, quale priùs non erat.

Lib. 18. de Civit. Dei cap. 41. erat. Denique manifeſta eſt Auguſtini ſententia; Deum illis authoribus, vel per eos tunc, quando ſcriberent, locutum fuiſſe, idque univerſos credere fideles.

De Prædeſtinatione & reprobatione.

ASSERTIO I.

Auguſtinus definit; quod prædeſtinatio eſt præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur. Quæ definitio valde bona eſt, ſi intelligatur de prædeſtinatione hominum, quæ ſuponit ſervitutem & peccatum, & de certitudine ex præſcientia, non ex mera præordinatione.

CENSURA.

Prædeſtinatio hominum lapſorum complectitur in primis ſalutem æternam, deindè omnia præſidia quibus eorum ſalus procuratur. Primum enim propoſuit Deus ab æterno, quibus gratuito amore ſui regni conſortium tribueret: & hos à reliquis, ad eum honorem non aſſumptis, conſilio ſuæ voluntatis ſeparavit. Deinde modum & univerſum ordinem apud ſe diſpoſuit, ſecundum quem electorum ſalutem procuraret. Hunc ordinem aſſertor invertit, faciens præſcientiam & præordi-

Digitized by Google

ordinationem mediorum priorem illâ Dei præordinatione, quâ certos præordinavit ad finem ſuum ultimum, vitam æternam; cùm de fine primùm diſponatur. Secundo loco peccatur eâ re in aſſertione, quod certitudinem prædeſtinationis pendere velit ex præſcientia, & eò trahat verba Beati Auguſtini: cùm ſit ex abſoluta Dei voluntate, diligentis, eligentis, ac præordinantis ad vitam æternam: ipſèque contrà Auguſtinus apertiſſimè ad idem objectum referat præſcientiam de qua loquitur, ad quod prædeſtinationem: ut Proſper, ex Auguſtini ſententia, in bonis prorſus eadem eſſe vult præſcita & prædeſtinata. Aſſertor verò eam referre videtur ad ea quæ erat homo facturus, ſicut ex aſſertionibus, 4. 11. 13. 20. & 30. poteſt intelligi: imò ex hac ipſa ſatis intelligitur: Quaſi ſcilicet primùm Deus conſideraſſet quid liberum cujùſque arbitrium cum tali aut tali gratia, ſi daretur ei, facturum eſſet, deindè autem propoſuiſſet ei dare talem gratiam, & denique gloriam. Ex quibus incidit in aliud majus abſurdum, quod prædeſtinatio ſit ex præviſione boni uſus liberi arbitrii. Quæ doctrina repugnat ſcripturis ſacris & expreſſæ doctrinæ ſancti [a] Auguſtini, [b] Proſperi, Fulgent, [c] & aliorum qui contra

Ib. & cap. 17. 18. & 19.

Ad Capitula Gall. ſententia ultima.

a *Epiſt.* 105. & 106. *lib. de correpẗ. & gratia. De Prædeſtinat.*

Digitized by Google

Pelag. & eorum reliquias catholicam de gratia Chriſti doctrinam eruditè & laudabiliter defenderunt. Repugnat & definitionibus Cæleſtini Papæ in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, & Leonis in Arauſicano Concilio, ut alia [d] prætereamus, qui dum *nullum bonum ad ſalutem vitæ æternæ pertinens in nobis eſſe* definiunt, [e] *quod non in nobis*, ſive in cordibus noſtris, atque in ipſo libero arbitrio, *Deus operetur*; ita ut omnis motus bonæ voluntatis ſit ex Deo; *qui agit in nobis ut quod vult velimus, & agamus, nec noſtram expectat voluntatem, ſed facit*: quique, *quoties bona agimus, in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur*, ſic ut *nulla faciat homo bona, quæ non Deus præſtet ut faciat homo*: manifeſtè oſtendunt, ſub prædeſtinatione divina comprehendi præparationem ſeu præordinationem omnis boni noſtri, quo in vitam æternam tendimus, juxta Scripturas: [f] *Sine me nihil poteſtis facere: Deus eſt qui operatur in nobis & velle & perficere: Qui gloriatur, in Domino glorietur: Quis te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti? Creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in ipſis ambulemus*: & alia hujuſmodi, quibus ad defendendam Chriſti gratiam Sanctus Auguſtinus & alii copioſè uſi ſunt. Quò peculiariter faciunt ea, quæ electionem ſeu prædeſtinationem non ex operi-

bus,

cap. 55. de dono perſever. lib. 2. ad Simplician. Hypognoſticon lib. 6. & alibi.

b *Proſp. paſſim in opuſculis.*

c *Fulg. lib. de Incarn. Chriſti, & de fide ad Petrum, & de duplici prædeſt. ad Monim.*

d *Vide Epiſtolas Proſp. & lib. ad Auguſt.*

e *Cæleſt. ad Epiſc. Gal. cap.* 9. 10. 11. 12. & 13. *Arauſic. Concil. Can.* 4. 9. & 20.

f *Ioan.* 15. *Philip.* 2. 2. *Cor.* 10. 1. *Cor.* 4. *Epheſ.* 2. *Rom.* 2. 8. 11. *Epheſ.* 1. 2. *Tim.* 2. *ad Titum* 3.

Digitized by Google

bus, ſed ex vocante ſecundum propoſitum voluntatis divinæ, aſſerunt: [a] & ad occulta Dei judicia referunt, cur alius præ alio eligatur. Item promiſſiones illæ novi teſtamenti. Ezech. 11. & 36. *Non propter vos ego faciam, ſed propter nomen ſanctum meum: & dabo vobis cor novum, & ponam ſpiritum novum in medio veſtri: & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum: & Spiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini.* Et Hierem. 31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Et Deuter. 30. *Circumcidet Dominus tuus cor tuum & cor ſeminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo & in tota anima tua.* Cùm enim *per legem non eſſet juſtitia: nec data fuiſſet lex, quæ poſſet vivificare,* promiſit Deus, deindè & *miſit filium ſuum, per quem juſtificatio legis impleretur in nobis,* Deus enim facit quod prædeſtinavit, & complet quod promiſit. *Prædeſtinatione* quippè *ea Deus præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus*, ait Auguſtinus in libro de prædeſt. cap. 15. item, *Deus non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promiſit: promiſit enim quod ipſe facturus fuerat, non homines: quia etſi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipſe facit ut illi faciant quæ præcipit, non illi faciunt ut ipſe faciat quod promiſit;* alioquin

a *Ad Rom.* 9. *&* 11. *Auguſtin. Epiſt.* 54. *&* 105. *& ſæpe alibi. ad Hebr.* 8.

ad Gal. 2. *&* 3.

Cap. 10.

Vide & Epiſtolam 105. *ad Sixtum.*

alioquin ut Dei promiſſa impleantur, non in Dei, ſed hominum eſt poteſtate. Sic ille. In ejuſdem rei typum etiam illa veteris teſtamenti de terra Chanaam populo Iſraël danda promiſſio (lex enim ſpiritualium eſt rerum figura, & novi teſtamenti allegorias continet) non nitebatur ullis populi illius prævisis meritis, ſed merâ liberalitate voluntatis divinæ. *Neque enim*, inquit, *propter juſtitias tuas & æquitatem cordis tui ingredieris, ut poſſideas terram gentium illarum, ſed ut compleret verbum ſuum Dominus, quod ſub juramento pollicitus eſt patribus tuis Abraham, Iſaac & Iacob.* Unde & terra illa nomen accepit, ut vocaretur terra promiſſionis uſque in hodiernum diem. Prætereà manifeſtè nobis commendat hanc prædeſtinationis gratiam oratio Dominica, quâ Deum oramus ut à nobis ſanctificetur nomen ejus, & fiat à nobis voluntas ejus, & in tentationem non inducamur; adeò ut *ſi alia documenta non eſſent* (ait Auguſtinus de dono perſeverantiæ cap. 7.) *hæc oratio Dominica nobis ad cauſam gratiæ, quam defendimus, ſola ſufficeret.* Quanquam gratiam commendant & evidenter aſſerunt & aliæ preces Eccleſiæ, de quibus eodem loco Auguſtinus: *attendat Eccleſia quotidianas orationes ſuas. Orat ut increduli credant: & Deus ergo eos convertit ad fidem. Orat ut credentes perſeverent;* *Deus*

Rom. 8.

Deuter. 9.

Vide & Innoc. in Epiſtola ad Can. Milev. qua eſt 93. apud

Deus ergo donat perſeverantiam uſque in finem. Hæc Deus facturum ſe eſſe promiſit. Ipſa eſt prædeſtinatio ſanctorum. Et Cæleſtinus Papa ad Epiſcopos Galliæ ca. 10. *Obſecrationum quoque ſacerdotalium ſacramenta reſpiciamus, quæ ab Apoſtolis tradita, in toto mundo atque in omni Eccleſia catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi.* Ac demùm enumeratis iis, quæ in die Paraſceves pro omni hominum genere orat Eccleſia, concludit: *Totum divini operis eſſe ſentitur, ut hæc efficienti Deo ſemper gratiarum actio, laudiſque confeſſio pro illuminatione talium vel correctione referatur.* Undè rursùm Auguſtinus, lib. 2. contra duas Epiſtolas Pelagii teſtatur, nihil homini in Scripturis Sacris juberi à Deo propter probandum liberum arbitrium, *quod non inveniatur vel dari ab ejus bonitate, vel poſci propter adjutorium gratiæ demonſtrandum.* Hinc eſt illud ab Auguſtino frequentatum, fremente licet ac indignante Pelagio: *Domine da quod jubes, & jube quod vis*: Et illud ejuſdem à Proſpero repetitum: *dona ipſe quod mandas.* Quod idem Eccleſia orat in Sabbato Sancto dicens; *da nobis velle & poſſe quod præcipis.* Cuncta igitur bona noſtra ad prædeſtinationem Dei ſunt referenda, ut prædicare prædeſtinationis beneficium, non ſit aliud quàm prædicare Deum omnia bona in electis ſuis operari, uti

Auguſt. & ipſum Aug. Epiſt. 107. & lib. de dono perſev. cap. 23. & Catechiſmum Parochorum tit. pro quibus orandum.

Cap. 10. Item in ſermo. Quodam contra Pelagian. fragment. 1.

Lib. 1. Confeſſ. cap. 19. lib. de dono perſev. c. 20. Vterque in Pſal. 118.

docet Auguſtinus lib. de dono perſeverantiæ cap. 17. Declarat præterea hanc prædeſtinationis doctrinam ipſum primarium gratiæ ac prædeſtinationis noſtræ exemplar Chriſtus homo Deus, qui cùm ad eam dignitatem ob nullum prævisum liberi arbitrii motum, fuerit prædeſtinatus, ſatis oſtendit nihil amplius tribuendum eſſe homini lapſo in ſua ad gloriam prædeſtinatione, uti multis locis ratiocinatur Auguſtinus. His accedit, quod negari non poteſt, parvulos ſaltem qui percepto regenerationis ſacramento ante uſum rationis decedunt, ex ſola Dei præordinatione, non ex ulla præviſione liberi arbitrii, prædeſtinatos eſſe; ut ad inſcrutabilia Dei judicia referendum ſit, cur illi prædeſtinati ſint, non alii. Quo argumento ſæpiſſimè utuntur veteres: quo & inter neotericos utitur R. P. Theod. Peltanus ex Societate nominis Jeſu Theologus in libr. de ſatisfactione noſtra, ſectione 10. ita inquiens, *Secretâ æterni patris electione fit, ut œconomiæ Chriſti fructus effectuſque quibuſdam clementer conferatur, aliis juſto judicio ſubtrahatur, quemadmodum id varii infantium caſus minimè obſcurè nobis oſtendunt.* Quin & ipſe harum aſſertionum author nonnullos adultos, ſolâ Dei præordinatione electos non videtur abnuere, quandoquidem

De prædeſt. ſanctorum cap. 15. de dono perſev. cap. ult. de correp. & Grat. c. 11. lib. 2. de peccat. meritis & remiſſ. c. 17. Enchir. c. 37. tract. 82. in Ioan. Epiſtola 105. 106. l. 4. contra Iul. c. 8. & de don. perſev. c. 12. Enchirid. c. 93. Proſp. & Hil. in Epiſtolis ad Aug. Proſp. ad Ruf. & l. 1. de vocat. gentium cap. 2. Fulgent. de Incarn. Chriſti cap. 30.

Digitized by Google

doquidem dicat in aſſertione 10. *fortè in Paulo, Magdalena, aliiſque nonnullis, dum converterentur, efficaci gratiæ excitatione voluntatem fuiſſe infallibiter determinatam.* Confirmatur denique doctrina hæc illâ prædeſtinationis apud Auguſtin. definitione, quam aſſertor in alium ſenſum divertere conatur, quandoquidem & ſcopus Authoris, & totus loci contextus, atque adeò verba proximè præcendentia, ubi dicitur, *Deum prævidiſſe ſua beneficia, quibus nos liberare dignatur*, hunc ſensùm poſtulent. Eundem Auguſtini locum olim à quibuſdam excerptum & inter dubia relatum tractans Proſper, cùm negaſſet verbis illis abſque gravi errore reſiſti poſſe, ſubjungit: *agnoſcamus itaque ſapienter, pieque fateamur, præſciſſe incommutabilem Deum, quibus eſſet daturus ut crederent, aut quos daturus eſſet filio ſuo, ut ex iis non perderet quemquam: & ſi hęc pręſcivit beneficia ſua, illum, quibus nos dignatur liberare, pręſciviſſe. Et hanc eſſe prędeſtinationem ſanctorum, pręſcientiam ſcilicet pręparationem gratię Dei, quâ certiſſimè liberantur quicumque liberantur. Cęteros autem quicumque non liberantur, quos à generali perditione humani generis, gratia non exemit, juſto noverimus judicio non exemptos: & quid nobis remiſſum ſit in eis diſcamus.* Sic ille. Hanc orthodoxam de prædeſtinatione Dei doctrinam à Maſſilienſibus & Fauſto fati nomi-

Lib. de dono perſeverant. cap. 14.

Ad excerpta Genuenſ. dub. 8.

ne

Digitized by Google

ne malitioſè infamatam Sanctus Proſper & Fulgentius Poſt Auguſtinum ita retinendam docuerunt, ut ei repugnantes *nec piè nec catholicè ſapere* conſtanter affirmarint. Sic enim Proſper ſcribit in Epiſtola ad Ruffinum: *Ab hac confeſſione gratię Dei ideo quidam reſiliunt, ne cùm eam talem confeſſi fuerint, qualis divino eloquio prædicatur, & qualis opere ſuæ pietatis agnoſcitur, etiam hoc neceſſe habeant profiteri, quod ex omni numero hominum per ſæcula cuncta natorum certus apud Deum definituſque ſit numerus prædeſtinati in vitam æternam populi, & ſecundum propoſitum vocantis Dei electi. Quod quidem tam impium eſt negare, quàm ipſi gratiæ contraire.* Et alibi de Auguſtino ſic ait: *Quamvis nunquam tam inſipienter locutus ſit ad populum Chriſtianum, & id quod mendax obtrectatio ineptiſſimè finxit, horruerit, piâ tamen conſtantique doctrinâ abundanter probavit prædicandam Eccleſiæ eſſe prædeſtinationem, in qua eſt gratiæ præparatio; & gratiam, in qua eſt prædeſtinationis effectus; & præſcientiam Dei, in qua ante ſæcula æterna quibus eſſet collaturus ſua dona præſcivit: cujus prædeſtinationis quiſquis eſt impugnator, apertiſſimus eſt Pelagii adiutor.* Hæc Proſper. Cujus verba & ſententiæ in toto hoc argumento gratiæ & prædeſtinationis eò plus valere debent apud cordatum quemque, quòd ex authoritate Sedis Apoſtolicæ reliquias Pelagii fuerit perſecutus,

Proſp. in Epiſtola ad Ruffin. Item ad cap. 1. & 6. Gallo. Fauſtus eam paſſim fati nomine traducit in 2. libris de Grat. & Libero Arb.

Ad excerpta Gall. & Genuenſium in fine.

In præfat. ad objecta Vincent.

cutus,

cutus, & opuſcula ejus ut religioſiſſimi viri (rejectis Caſſiani Presbyteri Maſſilienſis, & fauſti Regienſis Epiſcopi opuſculis, ut apocryphis) approbavit Gelaſius Papa cum Concilio 70. Epiſcoporum. Fulgentius autem primùm quidem de prædeſtinatione poſt alia multa ſcribit in hunc modum : *Hic nihil provenit in ſalutem hominum, quod ille non in æterna bonæ voluntatis ſuæ diſpoſitione faciendum prædeſtinaverit, à quo & fides gratis infunditur, per quam benè ambulemus, & perſeverantia donatur, per quam ad ſpeciem pervenire poſſimus. Hæc autem dona ſua ſemper Deus in æterna atque incommutabili habet voluntate diſpoſita, in qua præordinavit atque præparavit, & quæ daret, & quibus daret: ipſe autem prædeſtinando præparavit gratiæ donum, qui, gratiam donando, implet prædeſtinationis effectum.* Et Paulò poſt, *Deus enim, qui hominem condidit, ipſe prædeſtinatione ſuâ & donum illuminationis ad credendum, & donum perſeverantiæ ad proficiendum, atque permanendum, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparavit, quique non aliter perficit in opere, quàm in ſua ſempiterna atque incommutabili habet voluntate diſpoſitum.* Deindè quàm tutum ſit ei doctrinæ reſiſtere, his verbis declarat: *Cujus prædeſtinationis veritatem, quâ nos ante mundi conſtitutionem prædeſtinatos in Chriſto teſtatur Apoſtolus, ſi quis detrectat cordis*

Cap. ſancta Romana Eccleſia. Lib. de Incarna. & Gratia Chriſti c. ult. vidè eundem lib. 1. ad Monymum.

Digitized by Google

credulitate recipere vel oris confeſſione proferre, ſi ante ultimum diem vitæ præſentis impietatis ſuæ contumaciam, quâ Deo vivo & vero rebellis obſiſtit, non abjecerit, manifeſtum eſt eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Chriſto ante mundi conſtitutionem gratis elegit & prædeſtinavit ad regnum. Hæc Fulgentius. Sic & auctor hypognoſticon planè pronunciat, dicens; *prædeſtinationem negare, quam apud Deum eſſe breviter probavimus, immanis blaſphemia eſt.* Quæ cùm ita ſint, ut alia multa ad hoc argumentum pertinentia omittamus, non poteſt non peregrina, & periculoſa, & proindè meritò reprobanda videri doctrina, quæ prædeſtinationem ex operum prævisione definit. Quam quidem & ante 240. annos Facultas Theologica Pariſienſis damnaſſe legitur ſub hiſce tribus articulis: *Quod propter opera alicujus futura bona Deus prædeſtinavit aliquem ab æterno. Quod aliquis prædeſtinatus eſt ab æterno propter bonum uſum liberi arbitrii, quem Deus præſcivit eum habiturum. Quod non ſic gratis & miſericorditer Deus prædeſtinavit illum, quem prædeſtinavit, quin & pro omnibus bonis ipſius futuris, vel alterius.*

In fine lib. 6.

Habetur inter errores, à Facult. Theolog. Pariſienſi damnatos.

ASSERTIO II.

Deus poſt primum peccatum originale habuit voluntatem dandi Adamo & toti ejus poſteritati ſufficientia media contra pec-

peccata: & auxilia ad conſequendam vitam æternam: Ergo dat illis ſufficiens auxilium ut poſſint reverti.

CENSURA.

Vult hæc aſſertio à Deo per Chriſtum omnibus omninò hominibus dari ſufficiens auxilium, per quod poſſint converti; idque magis & ſequentes aliquot aſſertiones, præſertim, 7. & 16. declarant. Sufficiens autem Dei auxilium eſt præter quod ex parte Dei non eſt aliud neceſſarium. Adverſantur proindè hujus aſſertionis verba Scripturis & Patribus, imò propriè dictam Chriſti gratiam, quæ ſecundum Auguſtinum *non eſt bonis maliſque communis, ſed bonos diſcernit à malis*, evertere videtur. Scriptura teſtatur quod in præteritis quibuſdam generationibus *dimiſit Deus omnes gentes ingredi vias ſuas*; quod quibuſdam non auxiliatur; quod multi ab eo deſeruntur & *dimittuntur ſecundum deſideria cordis ſui*. Undè etiam fideles, intelligentes nondum ſibi ſufficere auxilium quod habent, & hoc ipſum ſubſtrahi poſſe, orant cum pſalmiſta; *Adjutor meus eſto, ne derelinquas me.* Deindè, eâdem ſcripturâ teſte, nec pro omnibus Chriſtus orat Patrem, nec omnes Chriſto dati ſunt à Patre. Ait enim, *non pro mundo rogo, ſed pro iis* quos

Lib. de præd. ſanc. c. 5.

Act. 15.

Pſalm. 80.

Pſalm. 26.

Ioan. 17.

Digitized by Google

quos dediſti mihi. Non omnes ergo habent ſufficiens auxilium ex parte Dei ad ſalutem conſequendam. Nam alioquin, & jam Chriſto pro iis non orante, & patre eos non dante, ſalutem conſequi poſſent: quod nemo Catholicus dixerit. Item dici non poteſt, eos omnes habere ſufficiens auxilium ad ſalutem quibus Euangelium Chriſti, ſine cujus fide nemo poteſt ſalvari, non eſt prædicatum. Nam, ut ait Apoſtolus, *quomodo credent ei quem non audierunt?* &c. *auditus autem per verbum Chriſti*: quod certum eſt non omnibus Adæ poſteris annuntiatum fuiſſe. At neque illi, quibus Euangelium prædicatur, credere poſſunt, niſi Deus *cor eorum aperiat, ut prædicationi intendant*. Quod non in omnibus, ſed in quibuſdam tantùm fieri, ex ſcriptura manifeſtum eſt. Undè Proſper, *Nunquid dubium eſt*, ait, *cùm verbum veritatis prædicatur, alios voluntate credere, alios voluntate non credere*, ſed cùm illorum *cor Deus aperuerit, illorum autem non aperuerit, diſcernendum eſt quid veniat de miſericordia, & quid de judicio.* Sic ille. Prætereà nec debuiſſent Moyſes & David adeò gloriosè prædicare auxilia data uni populo Dei, ut dicerent, *non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris*; &, *non fecit taliter omni nationi,* &

Rom. 10. *Vide Aug. lib.* 1. *de pec. mer. cap.* 22. *Act.* 16.24. *Ad Coloſſ.* 4. *Ad excerpta Genuen. dub.* 4. *Vide Aug. de præd. ſanct. cap.* 5. & 9.

& judicia ſua non manifeſtavit eis: Si omnibus omninò ſufficienter auxiliatus fuiſſet Deus ad ſalutem. Parùm enim intereſt, quibus modis aut mediis auxilium illud detur, dummodò detur ſufficiens. Meritò igitur Auguſtinus Epiſtola 107. ad Vitalem inter ſententias, quas dicit *ad fidem rectam & Catholicam pertinere*, has poſuit: *Scimus gratiam Dei non omnibus hominibus dari, ſcimus eis, quibus datur, miſericordiâ gratuitâ dari: ſcimus, eis, quibus non datur, juſto judicio non dari.* Et idem in Epiſtola ad Paulinum, 106. refert Pelagium noluiſſe videri ſine gratia Dei defendere liberum arbitrium, cùm poſſibilitatem volendi ac operandi, ſine qua nihil boni velle atque agere valeremus, à creatore nobis inſitam diceret; *Vt hæc intelligatur,* inquit, *doctore ipſo, Gratia Chriſti, quæ paganis atque Chriſtianis, impiis & piis, fidelibus atque infidelibus communis eſt.* Quamvis ergo hæc aſſertio à Pelagii ſententia in eo differat, quod hic Creatori, illa Redemptori gratiam iſtam acceptam referat; in eo tamen convenit, quod uterq; eam tantùm in poſſibilitate conſtituit, omnibuſque facit communem. Quod Auguſtinus pro abſurdo habet. Undè idem & alibi ad inſcrutabilia Dei judicia vult pertinere, quod huic detur gratia, huic non detur; gratiam haud dubiè intelligens, auxilium ex parte

Item ſerm. de verb. Apoſtoli cap. 8.

Lib. 1. de pec. mer. c. 21. vide etiam de præd. SS. cap. 6. & 9. de dono perſev. cap. 8. tract. 26. in Joannem de gratia & lib. arb. c. 23. vid. & Proſp. ad excerpta Gen. dub. 4. 5. 6. & 8. & lib. 1. de voca.

Digitized by Google

Gent. ca. ultimo & Fulg. de incarnatione Chriſti.

parte Dei ad ſalutem neceſſarium. *Hæc gratia*, inquit, *cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta cauſa eſſe poteſt, injuſta eſſe non poteſt.* Alias verò parvulorum ſine baptiſmo decedentium exemplum producit, quo tanquam invicto argumento oſtendat, ex parte Dei omnibus hominibus ſufficiens non adeſſe ſalutis ſubſidium. *Quomodò dicitur*, ait in Epiſtola 107. *omnes homines gratiam Dei fuiſſe accepturos, ſi non illi, quibus non donatur, eam ſuâ voluntate reſpuerent, cùm multis non detur parvulis?* Etiam eodem argumento, ut ſuprà diximus, inter Neotericos uſus eſt R. P. Theodorus Peltanus Soc. Jeſu Theologus. Quod ſi ſententiam de ſolis adultis accipiendam quis putet, *jam*, ut ait Auguſtinus, *intolerabilior ſequetur abſurditas. Iſto enim modo benevolentiorem faciemus Deum omnibus impiiſſimis & ſceleſtiſſimis hominibus, quàm innocentiſſimis & ab omni labe peccati actualis puriſſimis. Sicque fiet*, inquit, *ut Deus ipſe Chriſtianos omnes fieri velit, quorum multi nolunt; non omnes velit, quorum eſt nemo qui noluit.* Jam qui legerit Proſperi librum utrumque de vocatione gentium, & alia ejus opuſcula contra Pelagianorum reliquias elaborata, ac præcipuè carmen de Ingratis, in quo doctrinam hanc ex profeſſo refellit; itemque Fulgentii & Petri Diaconi de gratia Chriſti libellos;

Lib. 4. con- Iul. cap. 8.

pro-

proſpiciet quantum ab illorum Patrum ſana doctrina diſcrepet hæc ſufficientis auxilii aſſertio ex Maſſilienſium & ipſius Fauſti (qui contendit gratiam à Deo omnibus offerri & ingeri & argumenti de parvulis ſolutionem deſperans cap. 13. ineptiſſimè nugatur) doctrina & placitis deprompta. Nec porrò verum eſt, quod ſumit aſſertor, Deum habuiſſe voluntatem dandi Adamo ac toti ejus poſteritati ſufficientia media & auxilia ad conſequendam vitam æternam, ſi de voluntate Dei abſoluta, quæ beneplaciti vocatur, loquatur, de qua aſſertionem loqui ex illatione patet. Eam enim voluntatem ſi habuiſſet, qui omnia quæcùmque voluit fecit, haud dubiè dediſſet omnibus & gratiæ ſuæ & perſeverantiæ donum; quæ ad conſequendam vitam ſunt neceſſaria; atque ita omnes ſalvarentur.

Proſp. & Hilar. in Epi. ad Aug. & Proſp. ad 3. & 8. caput Gall. Fauſtus libro de lib. arbitrio cap. 3. & aliis & eiuſdem cap. 13.

ASSERTIO III.

Tota Scriptura plena eſt præceptis, & exhortationibus, ut peccatores convertantur ad Deum: Atqui Deus non præcipit impoſſibilia: ergo dat illis ſufficiens auxilium ut poſſint converti.

CENSURA

Inepta eſt collectio. Qui enim jubet

ut faciamus, ſimul jubet ut petamus quod facere non poſſumus, ſive ad quod ſufficiens auxilium nondum habemus. Undè Patres Concil. Trid. verbis ex Auguſtino deſumptis; *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Ac ſimiliter alibi Auguſtin. *Magnum aliquid,* ait, *Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt, non juberet Deus quod ſciret ab homine non poſſe fieri. Quis hoc neſciat? ſed ideò jubet aliqua quæ non poſſumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus.* Sic ille. Si autem petentes quidam nondum poſſunt, quantò minùs poſſunt non petentes, imò nec petere volentes, nec eum à quo petatur agnoſcentes? Nec ob id putandum eſt aliquid impoſſibile juberi. Nam præter liberum arbitrium, quod, hâc vitâ durante, ita poteſt ad bonum & ad malum flecti, ut nondum in alteram partem ſit immobiliter determinatum, ſicut in beatis & damnatis, etiam ipſum auxilium ſine quo Dei præcepta à libero arbitrio impleri non poſſunt, & per quod poſſint; omnibus petentibus eſt paratum, dicente Domino, petite & accipietis. Non enim præcepta & exhortationes convincunt jam omnibus datum eſſe, jamque ab omnibus haberi tale auxilium; ſed remittunt ad illum qui dare poteſt, ut ab eo

Seſſ. 6. c. 11
De natura & gratia c. 43.
De grat. lib. arbit. c. 16. vid. etiam cap. 15. & de perf. juſt. cap. 5. & 10.

Vid. Proſp. ad 6. objeſt. Vinc.

Digitized by Google

eo petant quod nondum acceperunt. Quod ſi omnibus adeſt, etiam antequam petatur, aufertur nobis magna pars orationis Dominicæ & precum Eccleſiaſticarum. *Quid enim ſtultius*, ait Auguſtinus, *quàm orare ut facias quod in poteſtate habes?* Undè ex ipſa orationis neceſſitate manifeſto argumento colligitur, non omnes ſtatim cum præcepto & exhortatione habere ſufficiens auxilium ad implenda Dei mandata, quandoquidem *legem credendi*, ut Pontifex ait, *Lex ſtatuit ſupplicandi*. *Quamvis igitur*, ut idem Auguſtinus ait, *dicamus Dei donum eſſe obedientiam, tamen homines exhortamur ad eam. Sed illis, qui veritatis exhortationes obedienter audiunt, ipſum donum Dei datum eſt: illis autem qui non ſic audiunt, non eſt datum.*

De natura & grat. c. 18.

Ep ad Celeſt. Epiſc. Galliæ.

Item Aug. de dono perſev. cap. 14.

ASSERTIO IV.

Dices, Deum quidem omnes vocare ad pœnitentiam, ſed non ſecundum propoſitum, aut non illâ vocatione quæ eſt ſine pœnitentia. Reſp. hoc videtur alienum à bonitate Dei, quia hoc non eſſet feriò, ſed deluſoriè vocare, ſi vocaret aliquem non ex intentione ut convertatur. Auguſtinus autem, *ut in ſcholio additur*, propoſitum Dei accipere videtur, ut ſit idem quod illo modo quo novit illum ſecuturum.

CENSURA.

Apoſtoli Pauli doctrina eſt ad Rom 8. & 11. non omnes homines, ſed ſolos electos ſeu prædeſtinatos vocari ſecundum propoſitum, & eâ vocatione quæ eſt ſine pænitentia. Neque alienum eſt à Dei bonitate, aut ut aſſertor poſt Catharinum cavillatur, deluſoria aut deriſoria ea vocatio, quâ vocat multos non ſecundum propoſitum: quia vocationis divinæ primus finis eſt hominis converſio, etiamſi illa non ſequatur. Quod enim quiſpiam vocatus non convertatur, propriæ ejus malitiæ imputandum eſt: quod autem convertatur, vocantis bonitati & potentiæ aſcribendum eſt. Hinc Proſp. lib. 2. de vocatione gentium capite 13. *Cum talia ad Cain loqueretur Deus* (Geneſis 4.) *nunquid ambiguum eſt voluiſſe eum, & (quantum ad illum medendi modum ſufficiebat) egiſſe, ut Cain ab illo impietatis furore reſipiſceret? ſed malitia pertinax inde facta eſt inexcuſabilior, unde debuit eſſe correctior.* Neque verò Dei intentio fruſtratur, ſi qui vocatur, & non convertitur; quia in hominum vocatione non ſolam hominum converſionem abſolutè Deus intendit (ſemper enim tunc ſequeretur) ſed alios etiam fines; veluti ut declaretur humanæ vel infirmitatis, vel malitiæ

In rep. 9.

mag-

magnitudo quanta ſit, cùm non ſequitur vocantem. Item, ut excellentiam gratiæ ſuæ declaret & neceſſitatem, utpote ſine qua nemo credere vel pœnitentiam agere poſſit; ut ita omne os *obſtruatur*, *& ſubditus fiat omnis mundus Deo*; nec quiſquam *niſi in Domino glorietur*. Sic quamvis non eſſe pœnitentiam acturos Judæos Chriſtus probè cognoſceret, iis tamen apud Matthæum voluit plurimas virtutes facere: ſicut & olim iis legem dederat, quam tamen vel in ipſo capite ab iis non ſemel violatum iri præſciebat. Porrò ſcholium additum, quo propoſitum Dei quaſi ex mente Auguſtini exponitur, ut idem ſit quod, *eo modo quo novit hominem ſecuturum*, tam Apoſtoli quàm Auguſt. doctrinæ penitùs adverſatur; qui prædeſtinationem non ex præviſo aliquo opere humano, ſed ex ſola Dei miſericordia eligentis, & beneficiorum ejus præparatione, uterque definit: quemadmodum ad primam aſſertionem annotavimus plenius. Atque hoc intelligi Dei propoſitum apud Apoſtolum ad Romanos 8. patet alia cum iſto loca ejuſdem Apoſtoli conferenti, veluti Rom. 4. 1. Cor. 1. 2. ad Tim. 2. Neque enim ita de ſpeciali auxilio gratiæ ſentiendum eſt, quemadmodum hoc ſcholio indicatur, Deum ſic illud offer-

Rom. 9. 1. Cor. 1.

Auguſt. in illud ad Gal. lex propter tranſg. poſipoſita eſt.

re,

re, ut expectet aſſenſum & ſequelam voluntatis humanæ, iiſque, quos ſecundum propoſitum vocat, eo offerre modo, quo præſcivit illos ſecuturos: quaſi non & ipſum liberæ voluntatis aſſenſum, & ſequelam, tanquam præcipuum quendam ſuæ prædeſtinationis effectum, in iis omnibus efficaci virtute gratiæ ſuæ operetur: aut quaſi non etiam rebelles ad ſe compellere voluntates poſſet, etiam eorum, quos prævidit, vel ſi quos ſaltem prævidiſſet tam duros & contumaces fore, ut nullâ omninò oblatione moti, nullâ pulſatione excitati, ſequi vellent: quod quidem ſentire, eſt à publicis Eccleſiæ vocibus, & ab Auguſtini aliorumque Patrum doctrina palam diſſentire. teſtatur enim ille lib. de prædeſtinatione ſanctorum, gratiam quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur *à nullo duro corde reſpui, cum ideo tribuatur ut duritia cordis primitùs auferatur.* Et ſcribens in Pſ. 88. de quibuſdam peſſimis, *volunt*, inquit, *illi etiam cum deſperatione peccare, & ſtare omninò in peccato, ut offendant oculos Patris; Nonne Deus de lapidibus ſuſcitabit filios Abrahæ?* Et de correpț. & gratia cap. 8. *An audetis dicere, rogante Chriſto ne deficeret fides Petri, defecturam fuiſſe, ſi Petrus eam deficere voluiſſet?* Et cap. 14. *Volenti Deo ſalvum face-*

Con. Arauſ. can. 4.

In Sabb. poſt Dn. 4. quad. & in Dom. 4. poſt pentecoſt. & Aug. Epiſt. 107. cap. 8.

De gra. lib. arb. cap. 12.

facere, nullum hominis reſiſtit arbitrium. Paulò poſt, *non eſt dubitandum voluntati Dei humanas voluntates reſiſtere non poſſe, quominùs faciat ipſe quod vult; quandoquidem etiam de ipſis hominum voluntatibus quod vult facit.* Item Epiſt. 107. *Deus non credentibus, & ejus doctrinam voluntate impiâ perſequentibus, miſericordiam prærogavit, eoſque ipſos omnipotentiſſimâ facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus fecit.* Et omnium apertiſſimè in Enchiridio cap. 18. *Quis,* inquit, *tam impiè deſipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non poſſe convertere?* Sic & Proſp. in carm. de ingratis, contra eos diſputans qui gratiæ tantùm excitandi tribuunt officium, ait;

At verò omnipotens hominem cùm Gratia ſalvat,
Ipſa ſuum conſummat opus, cui tempus agendi
Semper adeſt quæ geſta velit; non moribus illi
Fit mora, non cauſis anceps ſuſpenditur ullis.

Et idem alibi. *An dicendum eſt, voluntati Dei humanas obſiſtere voluntates? Et tam feros, tamque intractabiles hominum mores, ut Euangelium audiant, & prædicationi impia corda non pateant? Et quis iſtis corda mutavit, niſi qui finxit ſigillatim corda eorum?* Rurſumque lib. 1. de vocatione Gentium. *Nunquid virtus Gratiæ, quæ ſibi quos voluit ſubdidit, convertere eos qui inconvertibiles permanſere, non potuit?* Undè alibi teſta-

Digitized by Google

Ad exerpta Genuenſ. cap. 8. teſtatur, *non ſolum Tyrios & Sydonios, ſed etiam Corozain & Bethſaida potuiſſe converti, & fideles ex infidelibus fieri, ſi hæc voluiſſet in iis Dominus operari.* Tale eſt & illud Ambroſii de *Lib. 7. in Luc.* Samaritanis Chriſtum recipere nolentibus, *nam ſi voluiſſet Chriſtus, ex indevotis feciſſet devotos.* Si enim, ut aiebat Hieronymus, *in magnete lapide & ſuccinis hæc eſt vis, ut annulos, & ſtipulam, & feſtucam ſibi copulent; quantò magis Dominus omnium creaturarum ad ſe trahere poterat quos volebat*, & alia ejuſmodi multa. *Vide etiam Baſil. verba ad aſſert. 2. Et Chryſ. in illud Ioan. 6. niſi Pater traxerit eum.* Non ergo Deus tempus & locum, vel etiam modum ſervat, quo prævidit hominem ſecuturum, ſed ipſe omninò ſuâ potentiſſimâ gratiâ, & nihilominus ſalvâ hominis libertate, facit ut infallibiliter ſequatur quemcunque ſecundum propoſitum vocare dignatur. Si autem, juxta aſſertorem, alienum à bonitate Dei reputari non debet, nec ejus quaſi deluſoria haberi vocatio, ſi qui homines omnes ſalvos vult fieri, non tamen vocet omnes eo modo, quo, ſi vocarentur, ſcit eos infallibiliter ſecuturos vocantem (quos proindè nec vocare videtur ex intentione ut convertantur, ſciens videlicet eos eo modo non convertandos, qui alio modo vocati converterentur) gratis profectò cavillatur, deluſoriam ejuſdem fore vocationem, ſi quoſdam vocet non ſecundum

dum propoſitum, aut non illâ vocatione quæ eſt ſine pœnitentia.

ASSERTIO V.

Jubentur omnes baptizari: Ergo Deus, quantùm in ipſo eſt, vult omnibus dari gratiam Baptiſmi.

CENSURA.

Quidquid Deus præcipit, idem & vult, voluntate ſigni, quæ in præcepto conſiſtit; non ſemper autem voluntate abſolutâ, quæ beneplaciti eſt: At neque ſic, ut velit omnibus, quibus præcipit aliquid, jam adeſſe ſufficiens auxilium ad id quod præcipit implendum; ut ſuprà oſtenſum eſt. Undè patet, etiamſi quod ſumitur, verum eſſet, efficaciter tamen non indè colligi quod intenditur. At neque hoc verum eſt. Certum enim eſt, non omnes obligari præcepto de baptiſmo ſuſcipiendo; ſed eos tantùm, quibus eſt promulgatum. Quod autem ad hanc attinet aſſertionem, Deus quantum in ſe eſt vult omnibus dare gratiam baptiſmi, ea primùm manifeſtam in parvulis exceptionem habet. Undè ait Auguſtinus; quod plerùmque feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris ut baptiſmus parvulo detur, *Deo tamen nolente non datur.* *De dono perſev. cap. 12.*

Et

Et in Ep. ad Vitalem 107. *Multi*, inquit *ſalui non fiunt, non quia ipſi, ſed quia Deus non vult: quod ſine ulla caligine manifeſtatur in parvulis.* Quare dici non poteſt Deus quantum in ipſo eſt, ipſis voluiſſe dare gratiam baptiſmi. Deindè nec de adultis verum eſt, ſi ſignificetur, uti vult aſſertor, omnibus adeſſe ſufficiens auxilium, ſic ut ex parte Dei nihil amplius requiratur ad gratiam baptiſmi conſequendam. Eam enim nemo adultus conſequitur abſque fide & pœnitentia, *fides enim prima datur, ex qua impetrantur cetera*, ait Auguſtinus. Conſtat autem non omnibus dari fidem & pœnitentiam. *Non enim omnium eſt fides*; & de quibuſdam dicitur, *nequando det illis pœnitentiam*.

De prædeſt. ſanct. c. 7. 2. Theſſ. 3. 2. ad Tim. 2. 1. Cor. 2.

ASSERTIO VI.

Epiſt. 107. & de prædeſt. cap. 8.

Hunc locum (*Deus vult omnes homines ſalvos fieri*) vult omnes ſalvos fieri qui, ſalvi fiunt, non videtur exponere Auguſtinus ſecundum intentionem Apoſtoli; & ſex ampliùſque argumentis dicta interpretatio oppugnatur.

CENSURA.

Sic ille, cum nonnulla, ut videtur, trepidatione de bona ſanctiſſimi doctiſſimique Eccleſiæ Doctoris expoſitione pro-

Digitized by Google

pronuntiat. Catharinus verò, eandem quam aſſertor ſecutus doctrinam, audet & dicit, *talibus gloſſis lacerari & deſtrui verbum Dei*. Nec diſſimiliter in ſuo hyperaſpiſte Eraſmus ſimilia ſapiens, ſugillat & carpit optimi doctoris ſenſum, quem in allegandis, pro defenſione gratiæ Chriſti, ſcripturarum teſtimoniis producere ſolebat contra Pelagianos. Eſtque ubi generaliùs pronuntiare auſus fuerit, *Nuſquam à veteribus peccatum eſſe magis, quàm in veris atque germanis divinarum ſcripturarum proferendis intelligentiis, quando contra hæreticos veritatem propugnabant Catholici*. Quæ quidem licentia quid aliud quàm petulantibus ingeniis auribùſque prurientibus feneſtram, ne dicamus patentiſſimam portam, ac viam aperit, per quam damnatæ olim & ſubindè exterminatæ hæreſes iterùm revocentur in orbem? Quamvis igitur hujus Apoſtoli ſententiæ reperiantur & aliæ probabiles expoſitiones, tum apud alios Authores, tum apud Auguſtinum, probari tamen non poteſt quod hæc una expoſitio, quæ non modò Auguſtino, ſed & Proſpero, & Fulgentio, aliiſque doctis viſa eſt ſcopo & contextui Apoſtolico benè congruere, ſtudioſè ad hoc impugnetur, ut illi interpretationi locus fiat, quæ habet, Deum omnibus hominibus ſufficiens ad ſalutem

Lib. 1. de Ratione vera Theol. verſus finem.

Proſp. Epiſt. ad Ruf. Ad c. 8. Gal. & c. 1. de voc. Gen. cap. 12. Fulgent. de Incarn. & grat. Chriſti cap. 31. Author hypog. lib. 6. cap. ultimo.

 auxilium

Lib. 4. contra Julian. c. 8. Epiſt. ad Vit. 107. & Proſp. Epiſ. ad Ruff.

auxilium dediſſe : *Ut videlicet intelligamus ideò non omnes ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire*, ait contra Julianum Auguſtinus, *quia ipſi nolunt petere, cùm Deus velit dare: nolunt quærere, cùm Deus velit oſtendere: nolunt pulſare, cùm Deus velit aperire.* Quaſi non & ipſum petere, quærere, pulſare divinæ gratiæ virtus in homine operetur. Qui ſenſus & Maſſilienſium olim fuit, & à Proſpero, Fulgentio, atque ab Auguſtino rejectus, ac ex profeſſo oppugnatus.

ASSERTIO VII.

Deus voluit dare Chriſtum in redemptionem pro omnibus, nullo excepto: Ergo omnibus præparavit ſufficientia media per Chriſtum. Probatur conſequentia, quia eatenùs eſt Chriſtus omnium Redemptor, quatenùs per ipſum donantur omnibus ſufficientia media, quibus reſurgant à peccatis. Si enim non darentur ſufficientia, verus non eſſet eorum Redemptor: quia neque quoad ſufficientiam, neque quoad efficaciam.

CENSURA.

Lib. 1. c. 16.

Reſponſ. 1. ad object. Vincent habetur etiam

Huic argumento Maſſilienſium (quod idem & Fauſti fuit) reſponſum eſt jam olim à Proſpero in hunc modum: „ Quo- „ ad magnitudinem & poteſtatem pretii,

„ &

„ & quod ad unam pertinet cauſam gene-
„ ris humani, Sanguis Chriſti redemptio
„ eſt totius mundi. Sed qui hoc ſeculum
„ ſine fide Chriſti, & ſine regenerationis
„ ſacramento pertranſeunt, redemptio-
„ nis alieni ſunt. Cùm itaque propter
„ unam omnium naturam, & unam om-
„ nium cauſam, in veritate à Domino
„ noſtro ſuſceptam, rectè dicantur om-
„ nes redempti, & tamen non omnes à
„ captivitate ſint eruti: Redemptionis
„ proprietas haud dubiè penes illos eſt,
„ de quibus princeps mundi miſſus eſt fo-
„ ras, & jam non vaſa Diaboli, ſed mem-
„ bra ſunt Chriſti. *Et mox*, Poculum quip-
„ pè immortalitatis, quod confectum eſt
„ de infirmitate noſtra & virtute divina,
„ habet quidem in ſe ut omnibus proſit:
„ ſed ſi non bibitur, non medetur" ſic
ille. Sufficientia ergo, quam poſtulat ge-
neralis redemptio, in pretio ſanguinis
Chriſti eſt, non autem in auxilio omni-
bus collato, ut prætendit objectio. Nam
alioquin etiam parvulis, quibus per ba-
ptiſmum ſuccurri non potuit, tale auxi-
lium tribuendum erit: aut certè dicere
oportebit, non pro illis Chriſtum ſe de-
diſſe in redemptionem, & ita non pro
omnibus. Diſſerens item hac de re R. P.
Theodorus Peltanus Societatis Jeſu Theo-

ad cap. Gal. Reſp. 9. & Sentent. 9. B. quoque Thomas de verit. q. 29. art. 7. ad 4. & part. 3. quæſt. 18. art. 3.

Digitized by Google

Vbi ſupra. logus, *Certò ſtatuendum eſt*, inquit, *Chriſtum Dominum uno quidem modo Servatorem & Redemptorem eſſe omnium, alio autem modo non omnium, ſed multorum tantùm, vel aliquorum: hoc quidem ſecundum efficientiam: prius verò ſecundum pretii magnitudinem & ſufficientiam.* Confirmat utrùmque modum ex ſcripturis: poſteriorem quidem his inter cæteras: *Hic eſt ſanguis novi teſtamenti, qui pro multis effundetur*: & *filius hominis venit animam ſuam dare redemptionem pro multis.* Priorem verò his, *ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem*, item, *unus pro omnibus mortuus eſt.* Quamquam non malè fortaſſe hæ poſteriores ſcripturæ ita accipiantur, ut ſenſu congruant cum illis, ubi pro multis Chriſtus dicitur ſe redemptionem dediſſe; cùm inſolens non ſit in ſacris litteris univerſalitatis notam ad eum modum accipi. Poteſt autem & alio probabili ſenſu, quod de omnium redemptione dicitur, accipi, quem indicat venerabilis Beda ſcribens in illud primæ Epiſtolæ Joan. cap. 2. „Ipſe „eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non „pro noſtris autem tantùm, ſed etiam „pro totius mundi, *quem locum ſic interpre-„tatur*: Non pro illis ſolùm propitiatio eſt „Dominus, quibus tunc in carne viven-„tibus ſcribebat Joannes; ſed & pro om-„ni Eccleſia, quæ per totam mundi lati-

Marc. 14.
Matth. 20.
ad Hebr. 2.

„tudinem

„ tudinem diffuſa eſt, à primo nimirùm „ electo uſque ad ultimum, qui in fine „ mundi naſciturus eſt porrecta". Quam expoſitionem venerabilis Beda à ſancto Auguſtino ſumpſit, apud quem ea invenitur in Epiſt. 48. circa medium.

ASSERTIO VIII.

Ut peccator poſſit conuerti, non eſt neceſſarium ut recipiat utrùmque auxilium præveniens ſcilicet & concomitans in actu ſecundo, ſed ſatis eſt ut accipiat auxilium præveniens in actu ſecundo, & tunc verè habet auxilium ſufficiens ad actualem converſionem.

CENSURA.

Sententia hæc, quatenùs dicit, per auxilium præveniens acceptum in actu ſecundo, id eſt, gratiam excitantem, poſſe peccatorem converti, ita ut ad actualem ejus converſionem non ſit neceſſaria ſingularis illa gratiæ Dei cooperatio, quâ ex nolente volens, ex averſo converſus, & ex malo bonus efficiatur, tam ſcripturis quàm Auguſtini doctrinæ repugnat. Ea enim propriè eſt gratia Chriſti, & gratia novi teſtamenti, *quæ aufert cor lapideum, & tribuit cor carneum: quæ operatur ipſum velle & perficere: per quam ſcribitur lex Dei* Ezech. 36. ad Philip. 2.

 in

Ierem. 31. *in cordibus noſtris: quæ facit ut faciamus*, non tantùm ut poſſimus facere, ſi velimus, quam humiliter petimus in oratione quotidiana dicentes Deo, *Fiat voluntas tua*: quam fideliter agnoſcimus, quoties pro omni bona voluntate, & pro omni bono opere, Deo, tanquam vero & proprio authori, gratias agimus. Non enim tantùm oramus Deum, ut poſſimus facere ejus voluntatem (quamquam quid vel hoc opus eſt, ſi omnes ſemper habent auxilium ſufficiens ut poſſint?) ſed ut faciamus: neque gratias agimus pro eo tantùm, quia dedit poſſe converti, ac benè operari poſſe (alioqui nihilo plus gratiarum deberet Deo converſus, quàm non converſus, benè operans, quàm non benè operans) ſed quia dedit ipſum converti, ac benè operari: *ut ſic in omnibus Deus honorificetur*, & *qui gloriatur, in Domino glorietur, à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum*: cui nullum bonum noſtrum à nobis offerri poteſt, quod non ab illo acceperimus, dicente David: *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Quod autem ad B. Auguſtini doctrinam attinet, quod illi hæc ſententia repugnet, & his & ſimilibus, quæ propè ſunt infinita, locis patere poteſt: *Certum eſt, nos velle cùm volumus, ſed ipſe facit ut velimus,*

1. Pet. 4. 1. Cor. 10. Iacob. 1.

1. Paralip. 29.

De Grat. & Lib. Arb. cap. 16.

Digitized by Google

mus, de quo dictum eſt; Deus eſt qui operatur in vobis & velle, &c. *Certum eſt nos facere, quando facimus: ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit, faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis.* De natura & gratia capite 32. *Nullos videtur attendiſſe, cùm dixit, & ipſe faciet, niſi eos qui dicunt, nos facimus, id eſt, nos ipſi nos ipſos juſtificamus. Vbi quidem operamur & nos, ſed illo operante cooperamur.* Enchiridii 23. *Præcedit bona voluntas hominis multa Dei dona, ſed non omnia. Quæ autem non præcedit, in iis eſt & ipſa.* De gratia Chriſti cap. 14. *Si omnis qui didicit, venit: profectò quiſquis non venit, non didicit.* Et eodem lib. cap. 24. *Legant, & intelligant: intueantur atque fateantur, interna atque occulta, mirabili ac ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum non ſolùm veras revelationes, ſed & bonas voluntates.* Eodem rurſus cap. 25. *Non ſolùm Deus poſſe noſtrum donavit, atque adjuuat ſed & velle & operari operatur in nobis.* Et omnium apertiſſimè cap. 47. ubi diſtinguens hæc tria poſſe, velle, agere, id eſt, poſſibilitatem, voluntatem, actionem, id tanquam componendæ controverſiæ neceſſarium exigit à Pelagio, ut conſentiat, non ſolùm poſſibilitatem in homine, etſi nec velit, nec agat benè, ſed ipſam quoque voluntatem & actionem, id eſt, ut benè velimus, & benè agamus (quæ non ſunt in homine, niſi

Similis eſt locus c. 20. de prædeſt. ſanct.

niſi cùm benè vult, & benè agit) divinitùs adjuvari, ut ſine illo adjutorio benè nihil velimus & agamus: eamque eſſe gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Et ſanè totus ille liber hanc B. Auguſtini doctrinam ſingulis propè paginis exprimit & declarat. Jam ſi ex libro de correp. & gratia, de prædeſt. SS. & de dono perſeverantiæ, & ex Epiſtolis 105. 106. 107. aliiſque ejuſdem contra Pelagianos editis opuſculis producere voluerimus in hanc cauſam teſtimonia, nullus erit citandi finis. Cæterùm adjiciendus videtur unus ex D. Bernardo locus item aptiſſimus: „Cavendum, *inquit*, „ne cùm hæc inviſibiliter intra nos ac nobiſcum actitari ſentimus, ea noſtræ voluntati attribuamus, quæ infirma eſt, „aut Dei neceſſitati, quæ nulla eſt: ſed „ſoli gratiæ, quæ pleniùs ipſum liberum „excitat arbitrium, cùm ſeminat cogitatum, ſanat, cùm commutat affectum, roborat, ut perducat ad actum, „ſervat, ne ſentiat defectum, ſic autem „iſta cum libero arbitrio comparatur, ut „tantùm illud in primo præveniat, in „cæteris comitetur; ita tamen quod à „ſola gratia cœptum eſt, pariter ab utroque perficiatur, ut miſtim, non ſigillatim; ſimul, non viciſſim, per ſingulos „pro-

Lib. de Grat. & lib. Arb. ſub finem.

Digitized by Google

„ profectus operetur, non partim gratia, „ partim liberum arbitrium, ſed totum „ ſingula opere individuo peragant, to- „ tum quidem hoc, & totum illa, ſed „ totum in illo, & totum ex illa" ſic Bernard. Eandem hanc gratiam, ipſum velle tribuentem, humiliter & veraciter agnoſcit illa laudatiſſima, & à multis piis & religioſis, in iiſque nominatim Patribus Societatis nominis Jeſu, frequentata precatio Sancti Thomæ Aquinatis in qua Deo dicitur, *quod à me requiris ut faciam, tribue ut ſciam, poſſim, & velim; & da exequi, ut opus agnoſcis.* Item clariſſimè idem ſanctus Doctor ſcribens in cap. 5. Joan. & ad illud: *Niſi Pater traxerit eum;* & lib. 3. contra Gentiles capite 79. nec non in Summa 1. 2. quæſt. 11. art. 3. Cui doctori ſuo atque ipſi veritati conſentanea cùm ſcripſiſſet Cardinalis Cajetanus in illud Matth. 4. *Venite poſt me,* & in illud Luc. cap. 5. *ſurgens ſecutus eſt eum,* virgam iniqui cenſoris ſui Catharini ſubterfugere non potuit, viri doctorum judicio audentioris quàm doctioris.

Quæ incipit concede mihi quæſo.

In annotat. adverſus Cajetanum pag. 292. Oleaſt. in Gen. 31.

ASSERTIO IX.

Concomitans concurſus ſpecialis, ſeu ſupernaturalis, ita præparatus eſt peccatori, ſicut concurſus naturalis & generalis

Digitized by Google

lis præparatus eſt potentiæ Univerſali; verbi gratia potentiæ videndi. Et infrà; Deus non dat ipſa opera bona, niſi quatenùs per gratiam prævenientem dat nobis auxilium ſufficiens, & paratus eſt dare concurſum gratiæ concomitantis in actu ſecundo, ſi velimus.

CENSURA.

Concurſus ille concomitans ſpecialis, ſive ſupernaturalis, quem adinſtar concurſus generalis, tanquam ab eo diſtinctum, ponit, & peccatori præparatum eſſe vult iſta aſſertio, neque neceſſariò ponitur, neque verè ſufficit. Quare in eo quod addit, Deum non aliter dare ipſa bona opera, niſi quatenùs per gratiam prævenientem dat nobis auxilium ſufficiens, & paratus eſt dare concurſum gratiæ concomitantis in actu ſecundo, ſi velimus, rurſum tollit illam *ſpecialem & propriè dictam gratiam Chriſti*, quæ ſecundum
Ezech. 36. Prophetam facit ut operemur, & de qua
Epheſ. 2. ſcribens Apoſtolus, *creatos* nos dicit *in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis am-*
Pſal. 26. *bulemus*: quia ſecundum alium Prophetam ipſe *in nobis omnia operatur*, non quocunque modo, ſed propriè & per ſe, ut canon
Can. 6. Seſſ. 6. Tridentinus teſtatur. Quæ proindè gratia, non *ſi velimus*, ſed *ut velimus* operatur, quomodo

modò clarè dicitur in Arauſicano Concilio. Alioquin, quod abſit, fatendum erit, voluntatem bonam & opera bona magis propriè eſſe noſtra, quàm Dei; & hominem peccatorem magis à ſe ipſo converti, quàm à Deo; & ſuo arbitrio diſcerni, non dono Dei; ideòque in ſe ipſo non minus, imò verò & magis, quàm in Deo, de ſua converſione poſſe gloriari, & quod B. Celeſtini Pontificis verbis dicunt Tridentini Concilii Patres, *Tantam eſſe erga nos Dei bonitatem, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona, & pro his quæ largitus eſt, æterna præmia ſit donaturus*, hactenùs tantùm verum eſſe, quia præter auxilium ſufficiens, quod vocant, dat concurſum gratiæ concomitantis, ſi velimus; non autem quia dat efficaciter ipſum velle, cùm in ipſo voluntatis actu propriè ſit ratio meriti. Quid autem de ea conditione, *ſi velimus*, ſenſerit Auguſtinus, etiam ante exortam hæreſim Pelagii, monſtrant hæc ejus verba lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. *Illud neſcio quomodò dicatur, fruſtrà Deum miſereri, niſi nos velimus. Si enim Deus miſeretur, etiam volumus: ad eandem quippè miſericordiam pertinet ut velimus; Deus enim eſt qui operatur in nobis velle & operari.* Idem verò poſteà multò clariùs hanc doctrinam aſſeruit, ut ſuprà oſtendimus. Undè & in libro de prædeſt. SS. ita Can. 4. & 6.

ratio-

Cap. 8.

ratiocinatur: *Quare non eos docet? ſi dixerimus, quia nolunt diſcere, reſpondetur nobis, & ubi eſt quod ei dicitur, Domine tu convertens vivificabis nos? aut ſi non facit volentes ex nolentibus Deus, quid orat Eccleſia, ſecundum præceptum Dei, pro perſecutoribus ſuis?* Fulgentius quoque ad iſtam quæſtionem, Cur non faciat Deus omnes velle, non aliud reſpondet quàm illud Apoſtoli: *An non habet poteſtatem figulus luti*, &c. Igitur *profunditas illius quæſtionis*, ait Proſper, *quam, ſecundum admirationem Apoſtoli, impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrii velle & nolle non ſolvitur: quia licet inſit homini bonum nolle, tamen niſi donatum, non habet bonum velle.* Porrò ſecundum eum intellectum, qui hâc aſſertione exponitur, fatendum erit, quod Deus omnibus dat, etiam peſſimis hominibus, & in malitia perſiſtentibus, opera bona, iiſque omnibus dat velle & perficere, & omnes omninò ad ſe attrahit, quia videlicet dat omnibus auxilium ſufficiens, & paratus eſt omnibus dare concurſum concomitantis gratiæ in actu ſecundo, ſi velint: quomodò Fauſtus olim Pelagianizans hujuſmodi ſcripturas pervertendo interpretabatur, ut apud eundem videre eſt lib. 2. de gratia & lib. arb. cap. 17. ſed hæc quàm ſint abſurda & à ſcripturæ ſenſu aliena, quis non videt?

Lib. de Incarnat. & Grat. Chriſti cap. 21.

Lib. 1. de vocat. gent. cap. ult.

ASSER-

ASSERTIO X.

Auguſtinus, ubicumque dicit, nos non tantùm gratiâ egere, quâ poſſimus; ſed etiam quâ faciamus, intelligendus eſt de ſupradicto concomitante concurſu, quod ſcilicet non poſſimus facere ſine auxilio gratiæ concomitantis. Alioquin dictum ejus non eſſet univerſaliter verum. Nam ut faciamus non requiritur efficax excitatio, quæ voluntatem infallibiliter determinet, qualis fortè fuit in Paulo, Magdalena, aliiſque nonnullis, dum converterentur, ſed ſufficit multò minor, quæ pleniſſimam relinquit libertatem.

CENSURA.

Hæc gloſſa prorsùs repugnat ſententiæ authoris, quam præter alia loca declarat apertiſſimè in libro de correp. & gratia, ubi diſtinguens inter gratiam ante & poſt lapſum homini datam: „Prima, *in-* *Cap. 11.*
„*quit*, gratia eſt, quâ fit ut homo ha-
„beat juſtitiam, ſi velit: ſecunda verò
„plus poteſt, quâ etiam fit ut velit. *Et*
„*infra*, Nec de ipſa perſeverantia boni *Cap. 12.*
„voluit Deus ſanctos ſuos in viribus ſuis,
„ſed in ipſo gloriari, qui iis non ſolùm
„dat adjutorium, quale primo homini
„dedit, ſine quo non poſſint perſeverare,
„ſi

„ ſi velint, ſed in iis operatur & velle,
„ ut, quoniam non perſeverabunt, niſi
„ etiam poſſint, & velint, perſeverandi
„ iis poſſibilitas & voluntas divinæ gratiæ
„ largitate donetur. *Et iterum*: Subven-
„ tum eſt igitur infirmitati voluntatis
„ humanæ, ut divinâ gratiâ indeclina-
„ biliter & inſuperabiliter ageretur, &
„ ideò, quamvis infirma, non tamen
„ deficeret, neque adverſitate aliquâ vin-
„ ceretur. *Et mox*, Fortiſſimo quippè di-
„ miſit atque permiſit facere quod vel-
„ let: infirmis ſervavit, ut, ipſo donante,
„ invictiſſimè, quod bonum eſt, vellent,
„ & hoc deſerere invictiſſimè nollent".
Ex quibus aliiſque Auguſtini locis patet, ita efficacem eſſe gratiam Chriſti, ut voluntatem hominis infallibiliter, nullam tamen inferendo neceſſitatem, ad bonum determinet. A qua quidem neceſſitate, nimium metuit aſſertor, quamquam nihil metuerit B. Auguſtinus, tametſi ei objiciente Pelagio, quod libertatem tolleret. At neque metuit S. Thom. dum parte primâ quæſt. 105. art. 4. docet, *Deum in noſtra voluntate operari*, pro fundamento illius doctrinæ collocans illud Apoſtoli, *Deus operatur in nobis & velle & perficere.* At neque metuendum ab ea neceſſitate putat inter recentiores R. P. Societatis

cietatis Jeſu Theologus Benedictus Pererius, qui libro 8. de naturalium rerum principiis & aſſertionibus cap. 8. & 9. in ſumma, poſtquam ſibi objeciſſet, ſi Deus ſemper actu concurrit effectivè ac determinativè ad quamlibet operationem noſtræ voluntatis, videri labefactari, imò funditùs tolli libertatem voluntatis: ita reſpondet, ut primùm doceat, hunc Dei concurſum eſſe omninò verum, certum, & indubitatum, de quo fas non ſit Chriſtiano Philoſopho dubitare: deindè dicat. „Licet voluntas nihil operetur, niſi mota & determinata à Deo: quia tamen movetur à Deo convenienter naturæ ſuæ, & ut ſuapte natura apta eſt moveri, ideſt non neceſſariò, ſed liberè: ideò verè dicitur, verèque eſt libera. Si enim voluntas ita moveretur à Deo, ut ipſa ſe nullo modo moveret, & ad agendum determinaret, omnis profectò meriti ac demeriti, & libertatis ratio funditùs tolleretur. Sed quia Deus eam ſic movet, ut ipſa nihilominùs ſimul etiam ſeipſam moveat, ac per ſuam deliberationem ſe determinet ad agendum hoc vel illud quippiam; ob eam cauſam meritò appellatur, & verè eſt libera. Non enim intelligendum eſt voluntatem eſſe „liberam

Similia leges apud R. P. Franciſc. Coſterum in Controverſ. de Lib. Arb.

„ liberam omninò, ita ut à nullo pendeat,
„ nullique ſubjiciatur: quomodò ſolus
„ Deus liber eſt. Ratio enim cujuſvis crea-
„ turæ neceſſariam & inſeparabilem con-
„ tinet dependentiam ejus à creatore, tam
„ in exiſtentia, quàm in omni operatio-
„ ne. Ergo libertas (*ait*) noſtræ volunta-
„ tis ea eſt, quæ poteſt competere crea-
„ turæ: nempè quæ diſtinguit ac ſeparat
„ voluntatem ab agente naturali". Hæc ille. Quod ſi autem in Paulo, vel Magdalena, aliiſque, dum converterentur, agnoſcitur illa efficax & infallibiliter voluntatem determinans per gratiam excitatio, ſalvâ interim arbitrii libertate, ut agnoſcere videtur aſſertor; quid eſt, quod in cæteris eam negemus, & Auguſtini dicta, ut de ſcripturis taceatur, in diverſos ſenſus adeò torqueamus violenter? Quod faciunt, qui prædictam B. Auguſtini diſtinctionem ita conantur ſalvare, ut dicant, eâ ratione nobis dari velle, quâ primo homini: quia ſcilicet dantur nobis crebræ excitationes internæ, & externæ, & ſingularis protectio, cura, &c. quaſi hæc primo homini defuerint, ad quem interiùs tentandum ne quidem acceſſum habere diabolus potuit; vel certè omnia hæc in unum collecta, gratiam primi hominis æquent, nedum ſuperent, quod vult

Auguſt. de Corrept. & Grat. c. 11.

vult Auguſtinus; vel deniquè, his omnibus poſitis, ipſum velle in noſtro prorsùs non relinquatur libero arbitrio, ſicut & in primi hominis; aut ipſum velle per hæc tribuatur, cùm eſſe poſſint etiam in nolente.

ASSERTIO XI.

Quod dicit Auguſtinus, is, qui non ſunt à perditionis maſſa ſegregati, non adhiberi dicta vel facta divina, per quæ poſſent credere, ſi audirent ea, vel viderent, cum grano ſalis accipiendum eſt; ut intelligantur non accipere in actu ſecundo illa auxilia, cum quibus noverat Deus eos de facto convertendos: quod certiſſimum eſt de omnibus qui non convertuntur. *De dono perſev. cap. 14.*

CENSURA.

Loquitur eo loco Auguſtinus de auxiliis externis. Ait enim, *ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant*. Quod ad ſenſum audiendi vel videndi pertinet. Non ergo ſic accipi poteſt Auguſtini ſententia, quaſi velit ejuſmodi auxilia ſufficere cuiquam ad converſionem. Quamquam nec aſſertor ſentiat auxilia externa ſufficere. At neque divinum illud munus intelligentiæ, cujus ibidem meminit Auguſtinus, quo videlicet moveantur

homines ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant, æſtimari poteſt auxilium ad credendum ſufficiens, idque omnibus datum; tum quia naturaliter id ineſſe hominibus, nec omnibus; ſed quibuſdam dicit Auguſtinus; tum quia apertè negat, Tyriis & Sidoniis ut crederent fuiſſe datum. *Sed quia*, inquit, *ut crederent non erat iis datum, etiam undè crederent eſt negatum.* Neque vult Auguſtinus, id undè crederent, non eſſe datum, hoc ſenſu, quia non eſt ab illis acceptum in actu ſecundo; ſed quia ſimpliciter verum eſt, in Tyro & Sydone non fuiſſe factas virtutes, per quas erant credituri. Quare & proximè ſequens Auguſtini ſententia, quâ dicit, quibuſdam, qui non ſunt à perditionis maſſa gratiæ prædeſtinatione diſcreti, non abhiberi vel dicta, vel facta divina, per quæ poſſent credere, ſi audirent talia, vel viderent, ſimiliter debet intelligi. Quam intelligentiam & ipſa verba manifeſtè requirunt. Quocircà ex hoc loco Auguſtini, inter cæteros, manifeſtum eſt, non omnibus dari ſufficiens auxilium ad converſionem. Neque putandum eſt, omnibus, quibus externa hujuſmodi auxilia ad converſionem deſunt, adeſſe occulta, vel interna: quia via ordinaria & regularis, quâ Deus con-

converſionem hominum procurat, eſt per externa dicta vel facta; ut quibuſcunque hæc deſint, illis interna adeſſe, prorsùs ſit inopinabile.

ASSERTIO XII.

Ad illud, quod ex cap. 6. de prædeſtinatione SS. objicitur, ubi Auguſtinus docet, hunc nolle credere, quia ejus voluntas non præparatur à Domino; quod tamen erat neceſſarium ut credere vellet; Reſpondetur, valdè impropriè dici, quod is, cui ſufficienter propoſita eſt fides, ideò nolit credere, quia ejus voluntas non præparatur à Domino.

CENSURA.

Non dicit eo loco Auguſtinus, hunc nolle credere, quia ejus voluntas non præparatur à Domino; quamvis verum ſit, hoc eſſe neceſſarium, nempè voluntatem hominis à Deo præparari, ad hoc ut credere velit, idque eo loco ab Auguſtino ſit ſignificatum. Non enim quia rectè & convenienter dicitur: Hic vult credere, quia voluntas ejus præparatur à Domino; ideò conſequens erit, rectè quoque & convenienter dici; Hic non vult credere, quia voluntas ejus non præparatur à Domino. Cùm enim fidei donum ſit indebi-

Digitized by Google

tum, nullo modo cauſa infidelitatis in eum rejici poteſt, qui fidem non dedit, etiamſi abſque eo haberi non poſſit. Porrò negari non debet, eſſe multos, quibus ſufficienter propoſita eſt fides quoad externam prædicationem & quaſcunque internas ſuaſiones, ſeu excitationes ipſum voluntatis actum præcedentes, quibus tamen ex mente Auguſtini nondùm præparata eſt voluntas à Domino. Quod omnes illæ ſententiæ Auguſtini probant, quibus docet, ipſum credendi actum in cordibus hominum Deum operari.

Ioan. 6. *Hoc eſt opus Dei*, inquit Salvator, *ut credatis in eum, quem miſit ille*. Quem locum tractans Auguſtinus ait;

Tractat. 25. in Ioannem. *Non dicit, hoc eſt opus veſtrum; ſed, hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille; ut qui gloriatur, in Domino glorietur*. Item in Epiſtola ad vitalem, inter alia ſcribit in hunc modum;

Epiſt. 107. *ut in Deum credamus, & piè vivamus, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, non quia velle non debeamus & currere: ſed quia ipſe in nobis & velle operatur & currere. Vnde & Dominus Ieſus credentes à non credentibus, id eſt, ab iræ vaſis vaſa miſericordiæ diſcernens, nemo, inquit, venit ad me, niſi fuerit ei datum à patre meo*. Et poſteà inter eas ſententias, quas ſcire ſe dicit, ad fidem rectam & Catholicam pertinere, has duas poſuit poſtremas; *Scimus, pro iis, qui nolunt credere, nos qui*

qui jam credimus, rectâ fide agere, cùm Deum oramus ut velint. Et, *Scimus, pro iis, qui ex illis crediderunt, tanquam de beneficiis, rectè & veraciter, & debere nos Deo gratias agere, & ſolere.* Quod tamen ne libertati voluntatis videatur contrarium, hanc proximè præmiſerat ſententiam: *Scimus qui proprio corde credunt in Deum, ſuâ id facere voluntate ac libero arbitrio.* Et infrà ex orationibus Eccleſiæ validiſſimè Vitalem coarguens, *Nunquid,* inquit, *orare prohibebis Eccleſiam pro infidelibus, ut ſint fideles: pro iis, qui nolunt credere, ut velint credere: pro iis, qui ab ejus lege doctrinaque diſſentiunt, ut ejus legi doctrinæque conſentiant, ut det illis Deus quod per Prophetam promiſit, cor cognoſcendi eum, & aures audiendi? Nunquid, ubi audieris Sacerdotem Dei ad ejus altare populum hortantem ad Deum orandum, vel ipſum clarâ voce orantem, ut incredulas gentes ad fidem ſuam venire compellat, non reſpondebis, amen?* Ideò *nonnunquam,* ut idem ſubjungit egregius doctor, *per orationem credentium nondum credentes credere facit, ut oſtendat quod ipſe facit. Nemo enim eſt tam imperitus, tam carnalis, tam tardus ingenio, qui non videat Deum facere, quod rogari ſe præcipit, ut faciat.* Et mox: *Hoc & gratiarum actio indicat, quod oratio: oratio pro infidelibus, gratiarum actio pro fidelibus. Qui enim eſt orandus ut faciat, illi gratiarum actio reddenda cùm fecerit.* Veriſſimè igitur ab eodem alibi

In Epiſt. ad Sixt. 106.

ctum eſt: *Cur ille credat, ille non credat, cùm ambo idem audiant: & ; ſi miraculum in illorum conſpectu fiat, ambo idem videant, altitudo eſt divitiarum ſcientiæ & ſapientiæ Dei, cujus inſcrutabilia ſunt judicia, & apud quem non eſt iniquitas, dum cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.* Quam de fidei initio, id eſt, primo credendi actu atque effectu, doctrinam ad corrigendum Maſſilienſium errorem etiam pleniùs efficaciùſque probat idem doctor toto ferè libro de prædeſtinatione SS.

ASSERTIO XIII.

Eſt quoddam perſeverantiæ donum conſiſtens in quodam ſpeciali auxilio & protectione, quâ Deus ita protegit & munit quoſdam, ut ferè indeclinabiliter & infallibiliter in gratia perſeverent uſque ad mortem: quod quibuſdam conceditur, ut fortè Apoſtolis poſt acceptum Spiritum S. & *ut in ſcholio additur*, iis qui dicuntur confirmati in gratia. Aliud eſt perſeverantiæ donum, quod conſiſtit in quodam auxilio & protectione, quâ Deus ita adeſt, ut poſſint in gratia perſeverare, ſi velint. Et hoc donum eſt neceſſarium ad ſalutem, & datur omnibus juſtis immediatè in actu primo.

CEN-

CENSURA

Perſeverantiam nec ſcriptura, nec Concilii Tridentini Patres, nec Auguſtinus, aliique doctores aliam agnoſcunt, quàm de qua dictum eſt. *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*; nec aliud in homine lapſo perſeverantiæ donum, quàm quo fiat ut uſque in finem perſeveretur. Quod, ut habet Concilium Tridentinum; *aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt eum, qui ſtat, ſtatuere, ut perſeveranter ſtet, & eum, qui cadit, reſtituere*. De quo etiam Can. 16. ita pronunciat; *ſi quis magnum illud uſque in finem perſeverantiæ donum ſe certò habiturum abſolutâ & infallibili certitudine dixerit, niſi hoc ex ſpeciali revelatione didicerit, Anathema ſit*. Hoc igitur perſeverantiæ donum omnibus & ſolis electis proprium eſſe conſtat, iis videlicet, qui Chriſto dati ſunt à Patre, & pro quibus orat Patrem; ex quibus nullus omninò perit. Hoc ſingulare donum ſubditis ſuis à Domino ſuppliciter petebat Rex David dicens: *Cuſtodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & ſemper in veneratione tui mens iſta permaneat*. Hujuſmodi autem nullum agnoſcit hæc aſſertio, quandoquidem non ipſam perſeverantiam, ſeu ipſum perſeverare, ſed tantùm poſſe perſeverare Dei dono adſcribit.

Matth. 10.

Seſſione 6. *cap.* 13.

1. *Paralip.* 29.

ſcribit. Atqui poſſe perſeverare non eſt perſeverare, neque ſi detur poſſe perſeverare, continuò datur & perſeverare; imò ex eo ipſo quo quis non perſeverat, manifeſtum eſt, eum non habuiſſe donum perſeverantiæ, ait Proſper ad c. 7. Gallorum, poſt Auguſtinum initio libri de dono perſeverantiæ. Quod ergo integro homini tribuit Auguſtinus perſeverantiæ adjutorium in libro de correp. & gratia cap. 11. & 12. nimirùm ejuſmodi, ſine quo non poſſet, & per quod perſeverare poſſet, ſi vellet; hæc aſſertio lapſis tribuit, & quidem omnibus juſtis commune facit. Quod autem Auguſtinus ſecundum ſcripturam tribuit hominibus poſt lapſum erectis, atque in ſolis agnoſcit electis, videlicet tale perſeverantiæ donum, per quod non niſi perſeverantes ſint, ut cùm non perſeverabunt, niſi poſſint & velint, perſeverandi iis poſſibilitas ſimul & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur, & per quod ita ſubventum eſſe dicit infirmitati voluntatis humanæ, ut *divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur, & ideò, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliquâ vinceretur*; hoc inquam perſeverantiæ donum hîc non agnoſcitur, ſed excluditur potiùs, ſicut id excludere volebant Maſſilienſes, ſupradictam Augu-

ſtini

ſtini doctrinam carpentes, ut in epiſt. ad Auguſtinum teſtatur Hilarius. Ad quam reſpondens Auguſtinus, idem illud perſeverantiæ donum multò etiam copioſiùs apertiùſque aſſeruit in libro, cui ab eo dono titulum indidit, de quo etiam ita præclarè ſcriptum eſt à S. Thoma Aquin. *Impoſsibile eſt hæc duo ſimul eſſe vera, quod Spiritus* 2. 2. q. 24. art. 11. *Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quod ipſe charitatem amittat peccando. Nam* De dono perſev. c. 14. *donum perſeverantiæ computatur inter beneficia Dei, quibus certiſsimè liberantur quicumque liberantur, ut dicit Auguſtinus.* Cui ſimile prorſùs eſt illud Auguſtini in Pſalm. 84. *Superbire non poteſt, cui Deus oſtendit miſericordiam ſuam.* Videri quidem poteſt Aſſertor priori diſtinctionis membro tale aliquod donum agnoſcere: ſed reverà poſſe perſeverare etiam ibi donum Dei fatetur, dum ait, illud conſiſtere in quodam ſpeciali auxilio & protectione, quâ Deus ita protegit & munit quoſdam, ut ferè indeclinabiliter & infallibiliter in gratia perſeverent uſque ad mortem. Non enim hîc ipſum perſeverare divinæ operationi tribuitur; ſed tantùm Deo tribuitur protectio quædam & munitio, quâ quis ita protegitur & munitur, ut ferè indeclinabiliter perſeveret. Deindè hoc ipſum non vult Aſſertor niſi paucis admodùm conce-

 di,

di, cùm alterum juſtis omnibus commune fecerit. Ubi eſt ergo illud perſeverantiæ donum, quod omnibus & ſolis electis datur? Apparet autem Aſſertorem ex Catharini paradoxis hanc duplicis doni perſeverantiæ diſtinctionem ſumpſiſſe. Nam ſimiliter ille duplex genus electorum, ſeu prædeſtinatorum commentus eſt. Et eodem ſpectare videtur, quod olim Pelagianorum nonnulli prædeſtinationem abſolutam in ſolis Apoſtolis accipiendam eſſe dicebant, cæteris prædeſtinationem ex operum præviſione tribuentes, ut ſignificatur in fine operis Hypognoſticon apud Auguſtinum. Porrò confirmatos in gratia, ſic ut cadere non poſſint, hâc mortalitate durante (niſi fortè alicui, quod non negamus, tale quid ſpeciali privilegio datum fuerit) nullos eſſe, ſatis oſtendit illud Apoſtoli: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar*: & illud, quod omnes orare jubentur, *Ne nos inducas in tentationem*. Quamvis enim quibuſdam fortè ſua prædeſtinatio fuerit revelata, non tamen per hoc à tentationum periculis fuerunt exempti: quales profectò nullos agnoſcere ſe Proſper apertè declarat de vocatione gentium, ubi exceptione de Chriſto factâ, „In cæteris, *inquit*,

Lib. de præd. & altero de duabus ſcientiæ clavibus, ſub finem.

S. Thom. 1. p. q. 100. & in quæſt. diſput. quæſt. de Lib. Arb. Item Durandus in 3. diſt 3. q. 4. & alii alibi cap. 28.

„ *quit*, hominibus, donec caro concupiſ-
„ cit adverſus Spiritum, & Spiritus ad-
„ verſus carnem, & donec Spiritus qui-
„ dem promptus eſt, caro autem infirma,
„ incommutabilis animi fortitudo non
„ poteſt reperiri; cùm non hujus; ſed alte-
„ rius vitæ ſit veræ pacis perfecta & ſecu-
„ ra fœlicitas. In præſentis ergo agonis in-
„ certo, ubi tota vita tentatio eſt, & ab
„ inſidianti ſuperbia nec ipſa tuta eſt vi-
„ ctoria, mutabilitatis periculo non care-
„ tur. Et licet innumeris ſanctis ſuis donet
„ virtutem perſeverandi uſque in finem
„ divina protectio, à nullis tamen aufert
„ quod ipſis repugnat ex ipſis. *Et infra*,
„ Meritò igitur ab incipientibus non ſo-
„ lùm, verùm etiam à provectiſſimis ſan-
„ ctis uniformiter Domino ſupplicatur,
„ & dicitur, Ne nos inducas in tentatio-
„ nem, ſed libera nos à malo. *Sic ille.*

ASSERTIO XIV.

Indurati & excæcati habent ſufficiens auxilium ex parte Dei, ut convertantur. *Et infra*: Omnes infideles ſemper & ubique habent ſufficiens auxilium ad ſalutem ex parte Dei.

CENSURA.

Rejicienda penitùs tota hæc aſſertio eſt, velut

velut beneficio ſingularis illius gratiæ Chriſti, quæ non omnibus eſt communis, & tamen omnibus ad converſionem & ſalutem eſt neceſſaria, plurimum detrahens. Nam neque induratus converti poteſt, niſi per gratiam auferentem cor la-
Ezech. 36. Pſal. 17. pideum, & tribuentem cor carneum, quam utique quamdiu induratum eſt, non habet, neque excæcatus aſpicere poteſt lumen veritatis, niſi per gratiam tenebras ejus illuminantem, & velamen de
2. Cor. 3. corde ejus auferentem: quam ſimiliter, quamdiu excæcatus eſt, non habet. Neque infidelis quiſquam credere poteſt, niſi per gratiam, quâ cor ejus ex infidelitate ad fidem mutetur. Quam gratiam eum non habere, dum infidelis manet, perſpicuum eſt. Si ergo donum Dei nondùm habet infidelis, quomodò dicendus eſt habere ſufficiens auxilium ad ſalutem ex parte Dei, cùm abſque dono fidei non poſſit eſſe fidelis? Quantùm autem tota hæc doctrina à ſenſu ſcripturæ diſſonet, ſatis oſtendunt ea loca, in quibus legitur, quoſdam non tantùm deſeri à Deo, ac
Ioan. 12. & 5. Hierem. 13. *dimitti ſecundum vias ſuas, & ſecundum deſiderium cordis ſui*: verùm etiam *obdurari, & excæcari*, ideòque, quod ad præſentem eorum attinet diſpoſitionem, credere & benefacere non poſſe: quoſdam item *traditos*

ditos in paſſiones ignominiæ, & in reprobum ſenſum. Quibus quidem omnibus adhuc velle tribuere auxilium ſufficiens ad converſionem & ad ſalutem ex parte Dei, nimis abſurdum eſt: cùm ejuſmodi dimiſſio, deſertio, obduratio, excæcatio, & traditio, ſignificent auxilii neceſſarii negationem, vel ſubſtractionem. Deindè quomodò ſufficiens ad ſalutem auxilium ex parte Dei, ne tum quidem deeſſe dicitur, quando, ut aliæ ſcripturæ teſtantur, ablatâ ſæpè ac dirutâ maceriâ protectionis divinæ & inhibitis ad Dei mandatum nubibus gratiæ celeſtis, pluit ſuper peccatores laqueos: cùm menſa eorum ſit iis in laqueum, & in ſcandalum: cùm dorſum eorum, ut fiant contra Dominum, ipſe ſemper incurvat: cùm denique fiunt viæ illorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos. Quî enim poterit quis & in tenebris, & in lubrico, hoſte à tergo proſequente, rectè ambulare? Rursùm ſi omnes ſemper & ubique habent hoc auxilium: ergo Adam & Eva præceptum Domini tranſgredientes, ne momento quidem caruerant beneficio Chriſti: &, quod abſurdius, nullo contemptu Chriſti & beneficiorum ejus poterit hoc ejus gratiæ beneficium à quopiam excludi, aut repelli. Ergo quotquot

Rom. 1.
Iſaiæ 59.
Pſalm. 10.
Pſalm. 68.
Pſalm. 108.
Pſalm. 34.
Auguſt. & Remigius in Pſalm. 39.

Chri-

Digitized by Google

Chriſtum & diſcipulos ejus extremo odio & malitiâ ſunt perſecuti, beneficiorum incarnationis & redemptionis ejus fuerunt participes, eò uſque ut hoc, quod ex parte Dei haberent jam, eis ad ſalutem ſufficeret. Quomodò è contrario teſtatur Synodus Tridentina, quod etſi pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii dumtaxat, quibus meritum paſſionis communicatur; Deniquè rursùm verbis Arauſicani Concilii uſa, anathema in eum pronuntiat, qui dixerit, hominem ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur. Quæ quidem Spiritus Sancti præveniens inſpiratio, ſi putatur omnibus ubique & ſemper eſſe communis, jam non ubi, & cum vult, ſed ſemper & ubique ſpirat Spiritus Sanctus. Neque orandus erit Deus, ut Spiritus ſui inſpiratione præveniat, moveat, & emolliat infidelium & induratorum corda, ſed illi tantum erunt monendi, ut divinæ inſpirationi conſentiant, & cooperentur: quandoquidem jam ſatis habent ex parte Dei undè credant, & convertantur. Fallitur profectò qui talem imaginatur ſtatum cujuſcun-

Seſſ. 6. cap. 3.

Seſſ. 6. can. 3.

Arauſ. can. 6.

Hypognoſ. lib. 6. c. 4.

juſcunque peccatoris, qui, ut ait Proſper, *priuſquam à dominatione diaboli per gratiam Dei liberetur, in illo profundo jacet, in quod ſe ſuâ libertate demerſit, amans interim languores ſuos, & pro ſanitate habens quod ægrotare ſe neſcit; donec prima hæc medela conferatur ægroto, ut incipiat noſſe quod langueat, & poſſit opem medici deſiderare, quâ ſurgat.* *ad cap. 6, Gallor.*

ASSERTIO XV.

Omnia loca Scripturæ ſacræ, quæ ſignificant impoſſibile eſſe quoſdam converti, intelligenda ſunt, ut impoſſibile accipiatur pro eo, quod eſt valdè difficile.

CENSURA.

Non eſt negandum; quin poſſint converti ad Deum omnes peccatores durante hâc vitâ; ſed ſimul quoque fatendum eſt, nullum peccatorem conuerti poſſe, niſi per ſpecialem Dei gratiam, ſeu ſpeciale auxilium, quo voluntas ejus in bonum mutetur: quod auxilium non habet niſi cùm actu convertitur. Nihil ergo repugnat, imò ſanctorum Patrum expoſitioni congruit planè, impoſſibile in ſcripturis propriè accipi, cùm dicitur; impoſſibile eſſe quoſdam converti aut corrigi; ſed ita ut conſideretur homo ſecundum diſpoſitionem & vires præſentes:

quo-

Lib. 3. contra Creſc. cap. 4. quomodò ab Auguſtino dictum eſt, *Iuſtus implet legem Chriſti per dilectionem, quam injuſtus implere non poteſt.* Et à Patribus Concilii Trident. Seſſ. 6. c. 11. *Iubendo monet Deus & facere quod poſsis, & petere quod non poſsis.* Quo fit ut perperam aſſeratur omnia Scripturæ loca, Ex Aug. de nat. & grat. cap. 45. vide & Hier. in Epiſt. ad Creſiph. c. 4. quæ ſignificant eſſe impoſſibile quoſdam converti, ſic eſſe intelligenda, ut impoſſibile accipiatur pro eo, quod eſt valdè difficile; cùm præſertim ſalvator in Evangelio potiùs contrà difficile pro impoſſibili videatur interpretatus; ubi, quod difficile dixerat, quærentibus & admirantibus diſcipulis, ita exponit, ut impoſſibile eſſe pronuntiet. *Dives*, inquiebat, Matth. 19. *difficile intrabit in regnum cælorum*; &, Marci 10. *quàm difficile, qui pecunias habent, intrabunt in regnum cælorum*! Deindè verò ait, faciliùs eſſe camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. Et mox, Luc. 18. *Apud homines hoc impoſsibile eſt, apud Deum autem omnia poſsbilia ſunt.* Vide Hieron. lib. 2. contr. Pelag. c. 5. Quo loco quin impoſſibile propriè accipiatur, nullum eſt dubium. Sed ita dixit Dominus impoſſibile apud homines, quomodò dixit Apoſtolus; Rom. 8. *impoſsibile legi*: quia hoc, quod utrobique impoſſibile dicitur, niſi Deo ſpecialiter adjuvante, fieri ab homine non poteſt, quemadmodùm ſatis uterque locus declarat.

AS-

ASSERTIO XVI.

Parvuli ex parte Dei habent ſufficiens remedium contra peccatum, præſertim in nova lege. Nam Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, & pro omnibus inſtituit ſacramentum in remedium peccatorum, nemine cxcepto. Atque id, *quod in ſcholio additur*, ex epiſtola Cypriani 59. ſatis apertè colligitur.

CENSURA.

Mors Chriſti, & Sacramentum Baptiſmi, remedia ſunt, quæ ſufficiunt ſaluti omnium parvulorum, nemine excepto. Sed non indè conſequens eſt, omnes parvulos habere ſufficiens remedium contra peccatum ex parte Dei. Quamvis enim paratum ac propoſitum ſit tale remedium; non tamen ab eo rectè dicitur haberi, cui impoſſibile eſt illud applicari; impoſſibile, inquam ſtudio & induſtriâ humanâ. Multa enim tam ex parte Dei, quàm ex parte hominum requiruntur, eaque in parvulorum poteſtate non ſunt poſita, ut parvuli ipſi Chriſto commoriantur, & conſepeliantur per baptiſmum. Et tamen niſi hoc modo commortui & conſepulti ei fuerint, nec Baptiſmus, nec mors Chriſti illis ſunt remedio. Cyprianus au-

Vide Proſp. ad 8. cap. Gallorum. Et ad cap. 4. in fine.

tem in epiſtola ad Fidum, non ſignificat omnes parvulos habere ſufficiens remedium ſalutis: ſed dicit, neminem, cujuſcunque ætatis hominem per nos à baptiſmo & gratia Dei, qui omnibus & miſericors, & benignus, & pius eſt, debere prohiberi. Hoc enim quod dicit, *omnibus*, ad eam ætatem, non autem ad omnes in univerſum homines, videtur referendum eſſe. Aut certè eâ ratione ait B. Cyprianus eſſe apud omnes unam divini muneris æqualitatem, & Deum ſe omnibus ad cæleſtis gratiæ conſequutionem æqualitate libratâ præbere parem; quod, ut dictum eſt, Sacramentum inſtituerit baptiſmi omnium ſaluti, etiam parvulorum, nemine excepto, ſufficiens; quodque miniſtris juſſerit baptizare omnes. *Matth. 28.* Illa enim eſt Cypriani in illa epiſtola intentio, ut ipſe etiam B. Auguſtinus declarat, ſcribens ad ſanctum Hieronymum *Epiſt. 28.* in hæc verba: *B. Cyprianus non aliquod decretum condens novum, ſed Eccleſiæ fidem firmiſſimam ſervans, ad corrigendos eos, qui putabant, ante octavum diem nativitatis non eſſe parvulum baptizandum, mox natum ritè baptizari poſſe cum ſuis quibuſdam Coepiſcopis cenſuit.*

ASSERTIO XVII.

Quod applicatio talis remedii baptiſmi

vel

vel his, vel illis ob aliqua impedimenta occurrentia fiat impoſſibilis, non eſt Deo imputandum, quia non ordinat, ut non poſſit applicari, vel ut talia impedimenta occurrant, ſed tantùm permittit ſecundum communem curſum rerum, ſicut permittit peccata.

CENSURA.

Non rectè dicitur, Deum tantùm permittere, ſicut permittit peccata, non autem verè ac propriè producere ea impedimenta, per quæ parvulis aliquibus impoſſibilis fiat applicatio talis remedii, v. g. Baptiſmi: præſertim cùm abſque omni culpa humana talia impedimenta eveniunt, ut fit in iis qui antequam naſcantur, in utero moriuntur. Nam ſicut, Deo volente, de abſoluta ejus voluntate loquimur, alius baptizatur; ita, nolente eo, alius non baptizatur. Quod in parvulis ſine baptiſmo morientibus, evidenter patet: quos non baptizari, & proindè non ſalvari dicit Auguſtinus, *non quia ipſi nolunt, ſed quia Deus non vult. Neque enim*, ut idem ait, lib. de dono perſeverantiæ, *res humanas in parvulis non divinâ providentiâ, ſed fortuitis agi caſibus, opinandum eſt, cùm rationales vel damnandæ, vel liberandæ ſunt animæ; quandoquidem nec paſſer cadit in terram ſine patris voluntate,*

Epiſt. 107. ad Vital. cap. 12. Vide & Auguſt. Epiſt. 105. & Proſp. lib. 1. de voc. gent. cap. 22. & lib. 2. c. 22.

 qui

Digitized by Google

qui in cœlis eſt: aut parentum negligentiæ ſic tribuendum eſt, ut nihil ibi agant ſuperna judicia. Quæ ipſa Dei judicia agnoſcens inter recentiores R. P. Peltanus ita ſcribit: *Aliam hyperphyſicam cauſam (nam phyſicæ & liberæ itidem multæ exiſtere poſſunt) aſſignare non poſſumus, cur infantium alii ſuſcepto baptiſmi Sacramento extincti, celeſti beatitudine potiantur: alii ejuſdem Sacramenti gratiâ fruſtrati in æternum exilium à Chriſti regno proſcribantur, quàm diverſum Dei optimi maximi de his & illis conſilium, diverſumque in hos & illos ſtudium.* Sic ille. Conſtat autem & alibi ſæpè parvulorum exemplum ad probanda inſcrutabilia Dei judicia circa ſalutem & prædeſtinationem hominum ab Auguſtino, & poſt eum à Proſpero & Fulgentio adduci, reclamantibus licet primùm Pelagianis, deindè Maſſilienſibus, dum vel rationem reddere conati ſunt, cur è parvulis unus aſſumatur, alter relinquatur, vel ut ait Hilarius Arelatenſis in Epiſtola ad Auguſtinum, *cauſam parvulorum ad exemplum majorum afferri non patiebantur.* Et ſanè periculoſa eſt admodùm ea opinio, utpotè multùm Scripturæ diſſona, & perfectiſſimæ cauſalitati ac ſapientiæ divinæ non parum derogans, quam hic aſſertor ſequi videtur, Dei ſcilicet providentiam non immediatè extendi ad omnia & ſingula quæcumque in re-

Lib. de ſatiſf. parte 10.

Vid. Proſp. in Epiſt. ad Auguſt. & Fauſt. lib. 1. de Lib. Arb. cap. 13.

rum

rum natura exiſtunt & fiunt, peccato dumtaxat excepto: quaſi hâc tantùm ratione Deus omnia agat, omnibuſque provideat, quòd rebus à ſe conditis indidit vires ac proprietates, per quas illæ deindè ſe moveant, ſuaſque operationes exerceant, accedente tantummodò ipſius generali Dei concurſu, quo res, ne in nihilum concidant, ſuſtentet ac conſervet. Aliud nobis divinæ Scripturæ loquuntur, in quibus legimus, quod *Deo cura eſt de omnibus*: quodque ſapientia Dei *omnia proſpicit, attingens à fine uſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuaviter*: & *omnia in menſura, numero, ac pondere diſpoſuit, & omnia operatur in omnibus, quod Deus ei quod è ſemine naſcitur, dat corpus, ſicut voluit*, id eſt, ſicut jam ante diſpoſuit, & *unicuique ſeminum proprium corpus*. Quæ rursùm ita nobis commendant Dei providentiam, ut doceant nec volatilia, nec lilia horti, nec fœnum agri, nec pilos capitis ab ea exceptos eſſe. Undè Auguſtinus lib. 5. de Gen. ad lit. *Quod ait Salvator*, inquit, *unum paſſerem non cadere in terram ſine Dei voluntate, & quod fœnum agri poſt paululum mittendum in clibanum, ipſe tamen veſtiat: nonne confirmat non ſolùm iſtam totam mundi partem rebus mortalibus & corruptibilibus deputatam, verùm etiam viliſſimas abjectiſſimaſque ejus particulas divinâ providentiâ regi?* Et Cyril-

Sap. 6.7. 8. & 11.

1. Cor. 12. & 15.

Matt. 6. & 10.21. &c.

Vid. & l. 5. de Civit. Dei cap. 11. & Epiſt. 106. ad Paulin.

Digitized by Google

Lib. 5. c. 2. lus in Theſauro, *Quod ſi putatis*, ait, *indecens ad minima quæque providentiam deſcendere, erubeſcatis aliquantulum, quæſo, audientes Chriſtum: nonne duo paſſeres*, &c. Qui & alibi proprium
Lib. 12. cap. 14. id naturæ Deitatis eſſe affirmat, *ut providentia ſua omnia contineat atque gubernet, res etiam dejectas atque minimas*. Dionyſii quo-
Cap. 5. que generalis eſt doctrina in libro de divinis nominibus, ubi agens de eo, quod rerum omnium in Deo præexiſtant paradigmata, ſive ideæ, aſſerit in Sacris Litteris, *iſta paradigmata vocari prædeſtinationes, & Divinas ac bonas voluntates*: dicitque quod eædem *illæ prædeſtinationes ſint decretivæ, definitivæ, ac diſtinctivæ, atque etiam factivæ, ſecundum quas Deus omnia quæ ſunt, prædefinivit, atque in eſſe produxit*. Deindè, ut perſpicuâ ratione concludamus, quomodò non eſt dicendum Deum omnia immediatè operari, qui non tantùm per eſſentiam & præſentiam, verùm etiam per potentiam omnibus intimè ineſt? aut quomodò non omnia in particulari præordinavit, ſi omnia immediatè operatur?

ASSERTIO XVIII.

Omnes infideles ſemper & ubique habent ſufficiens auxilium ex parte Dei, ſeu in actu primo. Si enim facerent quod in ipſis eſt, & quantum poſſent ſecundum

præ-

Digitized by Google

præſentem diſpoſitionem naturalem vel ſupernaturalem, quam habent, Deus illuminaret eos, ut credere poſſent vel converti.

CENSURA.

De priori parte aſſertionis ſuprà dictum eſt. Quod autem attinet ad illud, *facere quod in ſe eſt*, ſi ſic intelligitur, ut ſit facere quod quis poteſt ſolis naturæ viribus ſine gratia Dei: eo ſenſu non rectè dicitur, ſi homo faciat quod in ſe eſt, illum à Deo illuminandum, ut credere poſſit vel converti. Nam ſic gratia Dei homini ſecundum quod conatur, facitque quod naturæ viribus poteſt, & aliquo ſaltem modo ſecundum merita daretur (quod olim reprobatum eſt) nec ad occulta Dei judicia pertineret, cur hic credat, ille non credat: hunc Deus liberet, illum non liberet: quod vult Auguſtinus in Epiſt. 105. ad Sixtum & alibi: [a] ſed ipſe ſe homo aliquo modo diſcerneret per id quod non accepit; quod negat Apoſtolus 1. Cor. 4. Notum quoque eſt illud [b] Proſp. quod *ſine Dei gratia nemo currit ad gratiam*. Si verò dicitur homo facere quod in ſe eſt, dum facit quod eſt in ipſius poteſtate, ſecundum quod motus eſt à Deo, quemadmodum eam locutionem exponit D. [c] Thomas in

a *Vide Aug. lib. 1. de peccat. merit. cap. 22. lib. de Grat. & Lib. Arbit. cap. 14. in Epiſt. 105. lib. 1. ad Simpl. in fin. Item Proſp. contra Collat. cap. 4. 8. & ſeq. Et in carm. de Ingrat. c. 17. S. Gregor. hom. 19. in Ezech. A. Tiletanus p. 1. cont. Kemnitum fol. 250.*

b *Proſp. ad c. 6. Gal. & in carm. de Ingrat. c. 25.*

c *D. Th. 1. 2. q. 106. art. 6. Vide etiam Catech. Paroch. in Titul. de Grad. Orationis.*

Summa, rectè dicitur hoc pacto homini facienti quod in ſe eſt, Deum ſuâ gratiâ non defuturum; & omnis qui petit, accipit; & qui quærit, invenit; & pulſanti aperietur. Neque eo modo ſine gratia itur ad gratiam; quamquam petere, quærere, Matth. 7. pulſare, atque omninò conari ad bonum ſalutare nemo poteſt, niſi per Dei gratiam hæc eadem in homine fiant, quemadmodum clarè definitum eſt in Concilio Arauſicano can. 6.

ASSERTIO XIX.

Qui invincibiliter ignorat fidem, tenetur ad præcepta naturalia, id eſt, ad Decalogum; ergo habet auxilium morale ſufficiens ad illa explenda: quia Deus neminem obligat ad impoſſibile. Alioquin videremur accedere ad ſententiam hæreticorum, qui dicunt, per peccatum originale amiſſum arbitrium ad bonum.

CENSURA.

Habere infideles auxilium ſufficiens morale ad impletionem decalogi, uſquè adeò verum non eſt, ut nec fideles omnes id habere dicendum ſit. Nam ſi haberent omnes peccatores, & fideles, non eſſet neceſſaria oratio, quâ peterent à Deo adjutorium ad ejus mandata implenda. Fruſtrà

Digitized by Google

Fruſtrà enim petitur, ut habeatur, quod jam ſufficienter habetur. Neque propterea quemquam ad impoſſibile obligari conſequens eſt, quandoquidem auxilium illud ita in divina bonitate præparatum eſt, ut nemini, ſicut oportet petenti, denegetur. Undè Proſper Caſſiano ſimilia objicienti reſpondens, dicit: *homini dari præceptum, ut divinum quærat auxilium.* Et alio loco; *Imperantur*, inquit, *iſta homini, ut ex præcepto Dei, quo ei hoc quod accepit, indicitur, agnoſcat id ſe ſuo vitio perdidiſſe, & non iniquam eſſe exactionem, quia ad reddendum quod debet idoneus non eſt; ſed à litera occidente refugiat ad Spiritum vivificantem, & facultatem, quam antè non invenit in natura, quærat ex gratia.* Quare neque conſequens, per peccatum originale amiſſum eſſe arbitrium ad bonum. Manſit enim in homine poſt peccatum naturalis arbitrii facultas & ad bonum & ad malum flexilis. Nam ſi ad bonum flecti non poſſet, nunquam ſe, Deo adjuvante, ad bonum inflecteret. Quod enim inſanabile eſt, non ſanatur: quale eſt liberum arbitrium in dæmonibus. At de hominibus dicitur à Sapiente Sap. 1. *ſanabiles fecit Deus nationes orbis terrarum.* Verumtamen ſi nullo ſenſu dici poſſet amiſſum eſſe liberum arbitrium ad bonum, non de eo poſt Auguſtinum dicerent Patres Arauſicani Concilii, *Quod*

Cap. 6.

In Epiſtola ad Demetriad. & c. 23. cont. Collat.

Fulgent. de Incarnat. & Grat. Chriſti c. 22, 23. & 24.

Proſp. ad objeſt. 6. Vincint.

Can. 13.

amiſſum, niſi à quo potuit dari, non poteſt reddi. Undè ipſa veritas dicit: *ſi vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Cæterùm videat aſſertor quomodò non magis ex ipſius doctrina ſit conſequens, per peccatum originale amiſſum eſſe liberum arbitrium ad bonum, quæ putat, libertatem ad bonum in homine lapſo ſalvari non poſſe, niſi perpetuò ei dicatur adeſſe ſufficiens auxilium, quo adjutus bonum eligere poſſit. Ex ea enim hypotheſi manifeſtè ſequitur, quod præveniendo beneficium redemptoris (ad quod pertinere vult ſufficiens illud auxilium) perierit homini per peccatum originis liberum arbitrium ad bonum. Bonum autem intelligimus quod ad pietatem, ſive, ut canon Arauſicanus loquitur, *ad ſalutem pertinet vitæ æternæ.*

Lib. 14. de Civitate Dei cap. 11.

Aſſert. 27. & 16.

Can. 7.

ASSERTIO XX.

Sententia, quæ dicit, eos qui ſalvantur, non efficaciter electos ad gloriam ante præviſionem bonorum operum, vel applicationis meriti contra peccatum, videtur maximè probabilis. Tenent autem hanc ſententiam omnes Patres Græci, adeò ut communiter dicatur ſententia Græcorum, *Et in ſcholio*, Quamquam diverſa ſententia Auguſtino tribuatur, non puto

Digitized by Google

puto tamen eſſe Auguſtini. Nam ubi hac de re loquitur, non exprimit utrum loquatur de immediata electione ad gloriam, an de mediata, quæ eſt ad gratiam. Item an loquatur de electione abſoluta & efficaci, an de conditionata, id eſt, ſi gratiæ fuerint cooperati: quomodò intelligendas eſſe promiſſiones divinas docet Trid. Concilium ſeſſ. 6. Quod ſi tamen contraria ſententia eſt D. Auguſtini, non admodum referret.

CENSURA.

Doctrina illa, quæ negat efficacem electionem ad gloriam ante præviſionem operum, prorsùs improbabilis eſt, & noxii erroris periculo non caret: ut quâ beneficium gratiæ & redemptionis Chriſti non parùm obſcuretur, quemadmodum ad primam aſſertionem declaratum eſt. Porrò hæc de Græcis Patribus, quaſi ad hunc modum ſentientibus, objectio & à Maſſilienſibus olim mota eſt, qui, uti Proſper ſcribit ad Auguſtinum, *ea quæ de epiſtola Pauli Romanis ſcribentis ad manifeſtationem divinæ gratiæ, prævenientis electorum merita, proferebantur, à nullo unquam Eccleſiaſticorum eſſe ita intellecta* affirmabant. Cui objectioni quia in libro de dono perſeverantiæ ſatisfecit Auguſtinus, oſtendens & alios inſig-

nes

Cap. 18. & 19. nes Eccleſiæ Doctores & in iis græcum Gregorium Nazianzenum, tametſi ſub aliis verbis, ante exortam Pelagianam hæreſim, eadem ſecum ſenſiſſe & ſcripſiſſe, nobis quoque ſatis id meritò eſſe debet, præſertim hâc tanti doctoris, alioquin in definiendo modeſtiſſimi tardiſſimique, auditâ ſententiâ, quâ eodem loco ſic indubitanter & intrepidè pronun-
Cap. 18. ciat; *Hoc ſcio, neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundum Scripturas ſanctas defendimus, niſi errando, diſputare potuiſſe.* Quod ſi Græcorum doctrina (qualis primâ facie legentibus apparet) hac in parte ſequenda eſt, dicere quoque oportebit à libero arbitrio gratiam Dei præveniri; quod hæreticum eſſe conſtat. Cui tamen ſententiæ in ſpeciem admodùm faventia apud Græcos, præſertim Chryſoſtomum, loca reperiuntur, ut videre eſt apud Six-
Lib. 5. annot. 101. & lib. 6. annot. 184. 251. 257. & 333. tum Senenſem in Bibliotheca ſancta. Certè non diſſimili exemplo Julianus Pelagianus, cùm de peccato originis quæſtio verſaretur, ad Orientales, id eſt, Græcos provocabat Epiſcopos, quod apud eos quæſtione nondùm motâ, non ita expreſſa hujus dogmatis extare teſtimonia conſpiceret. Sed eum doctè refellit Auguſtinus libro 1. eorum, quos adverſus eum conſcripſit. Quo tamen de ſen-

tentia

tentia orientalis Eccleſiæ circa myſterium prædeſtinationis & gratiæ Chriſti non relinquatur dubitandi locus, primo adſcribemus verba Petri Diaconi, qui cum aliis quibuſdam in cauſa fidei ex oriente Romam miſſus fuit circa annum Domini 500. in libello de incarnatione & gratia Chriſti hoc ipſum gratiæ Chriſti argumentum tractans, ſuæque & ſuorum fidei rationem exponens, inter alia ita ſcribit;
„ tunc etiam B. Baſilius Cæſarienſis Epiſ- *Petrus Diac. lib. de Incar. & grat. c. 8.*
„ copus in oratione ſacri altaris, quam
„ penè univerſus frequentat Oriens, inter
„ cætera: dona, inquit, Domine virtu-
„ tem ac tutamentum; malos, quæſu-
„ mus, bonos facito; bonos in bonitate
„ conſerva. Omnia enim potes, & non
„ eſt qui contradicat tibi. Cùm enim vo-
„ lueris, ſalvas, & nullus reſiſtit volun-
„ tati tuæ. Ecce quàm breviter, quàmque
„ ſuccinctè Doctor egregius olim huic
„ controverſiæ finem poſuit, docens per
„ hanc precem, non à ſe ipſis, ſed à Deo
„ malos homines bonos fieri, nec ſuâ
„ virtute, ſed divinæ gratiæ adjutorio in
„ ipſa bonitate perſeverare. Hactenùs ille.
Quid autem aliud ſibi volunt hæc Baſilii verba, quàm prædeſtinari hominem abſoluto decreto voluntatis Dei, & non ex præviſione operum? Quod autem pe-

nè univerſus Oriens in oratione ſacri altaris frequentabat, hoc ipſum indubiè etiam credebat. Quam fidem ſatis evidenter ipſe quoque Chryſoſtomus hom. 12. in Epiſtolam primam ad Cor. tractans illud Apoſtoli, *quid habes quod non accepiſti*; & ante eum Gregorius Nazianzenus (præter locum ab Auguſtino citatum) Oratione in novam dominicam. Jam verò quid hac de re ſenſerit Auguſtinus, velle adhuc in dubium revocare, profectò nimium eſt pugnaciter agere. Quamquam hoc ipſum quod ait Aſſertor, eam ſententiam, quæ prædeſtinationem tradit ex præſcientia, communiter dici ſententiam Græcorum, ſatis eum monere debuerit de Auguſtini ſententia. Nam ſi illa peculiariter ſententia Græcorum vocatur; ergo diverſa ſententia Latinorum eſt. Si autem Latinorum, ergo vel maximè Auguſtini, cujus inter Latinos in hoc argumento ſtudium citra controverſiam excelluit. Quod ad extremum addit aſſertor, *non admodùm referre*, *etſi contraria ſit Auguſtini*, non diceret, ſi cum univerſa Eccleſia agnoſceret quàm tum alibi, tum maximè in hoc argumento de gratia & prædeſtinatione deferendum ſit Auguſtino, utpotè gratiæ Chriſti contra hoſtes ejus Pelagianos defenſori præcipuo. Cujus

Vide eundem hom. 8. in 2. ep. ad Tim. & Dionyſ. lib. de Divinis Nom. c. 5.

jus

jus hanc ipſam de gratia Chriſti doctrinam adverſus querelas presbyterorum quorundam Auguſtino, tanquam is neceſſarium in diſputando modum exceſſiſſet, obloquentium, Celeſtinus Pontifex publico ſcripto commendare & approbare non dubitavit, *evidenter pronuncians*, inquit Proſper, *quam ſibi iſtius præſumptionis novitas diſpliceret, quia auderent quidam adverſus antiquos magiſtros inſolenter inſurgere, & indiſciplinata calumnia prædicationi Veritatis obſtrepere.* Qui tamen ipſi (ut idem Proſper ſcribit ad Ruffinum,) *non ignorabant Romanam, Africanamque Eccleſiam, & per omnes mundi partes univerſos promiſſionis filios, cum doctrina illius tanti viri, ſicut in tota fide, ita in confeſſione gratiæ congruere.* Quocircà rectiſſimè in eadem epiſtola monet, Auguſtini libros legendos, *ut in confitenda Dei gratia defæcatiſſimam ac ſaluberrimam Euangelicæ atque Apoſtolicæ doctrinæ intelligentiam conſequamur.* Cæterùm, quod habet Aſſertio, Tridentinum Concilium dicere, cum conditione eſſe intelligendas promiſſiones divinas, nuſquam id dicit, neque ſentit Concilium de hac promiſſione novæ legis, de qua dictum eſt, *Dabo legem meam in viſceribus eorum: & dabo vobis cor novum:* &, *faciam ut in præceptis meis ambuletis:* & hujuſmodi, non quod cooperatio liberi arbitrii non requiratur: ſed quod hanc

Epiſtol. ad Epiſc. Gall. contra Collatorem in fine.

Hierem. 31.

Ezech. 36.

hanc cooperationem ipſa etiam divina promiſſio comprehendit. Facit enim Deus per gratiam ſuam ut faciamus. Undè de hoc promiſſionum genere apertiſſima eſt hæc Proſperi ſententia libro primo

Cap. 4.

de vocatione Gentium capite nono: *Manet prorsùs, & quotidiè impletur, quod Abrahæ Dominus ſine conditione promiſit, ſine lege donavit: quia etſi quidam, quibus hæc prædicata ſunt, non crediderunt, incredulitas tamen eorum fidem Dei non evacuavit.*

ASSERTIO XXI.

Deindè probatur aliis pluribus teſtimoniis:

Apocal. 3.

Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Ergo corona poteſt amitti. Cui reſpondet Auguſtinus cap. 13. de correp. & gratia, ſcripturam ita loqui, non quod poſſit amitti, ſed ut homines ſint in timore.

CENSURA.

Coronam amitti poſſe rectè oſtenditur illo loco Apocal. 3. Intelligitur enim de ea, quæ debetur præſenti juſtitiæ, non quæ electis eſt ab æterno præparata. Non enim poteſt mutari æternum decretum prædeſtinationis divinæ. Rectè tamen Auguſtinus etiam perſeveraturis, & proindè electis, hoc dici quod eſt in Apocal. ſignificat

Sic Auguſt. de Correpţ. & Gratia cap. 13.

ficat, non quia perſeverantiæ donum ſemel acceptum amitti, aut electio mutari queat, ſed *ut omnes qui benè currunt, timeant, dum occultum eſt quò perveniant*.

ASSERTIO XXII.

In ſtatu innocentiæ ſufficiebat homini ad ſalutem gratia, quâ poterat perſeverare ſi vellet: Ergo & nunc.

CENSURA.

Idem hoc volebant Maſſilienſes, quibus non placuit diſcrimen illud gratiæ, quod inter hominem lapſum & integrum poſuerat Auguſtinus in libro de correp. & gratia capite 12. ut eſt in Epiſtola Hilarii ad Auguſtinum. Infirmitatem autem hujus argumenti proſpiciet, qui legerit caput 11. & 12. libri memorati. Certè bonum argumentum hoc ei videbitur fortè, qui ſtatus utriuſque diſtantiam, & ortam ex peccato noſtræ naturæ corruptionem non ſatis perpenderit. At non ita Sanctus Auguſtinus, cujus ut unum ex multis teſtimonium ponamus, hæc apertiſſima verba ſunt dicti operis cap. 12. „Primo „homini, qui in eo bono, quo factus „fuerat rectus, acceperat, poſſe non pec„care, poſſe non mori, poſſe ipſum bo„num non deſerere, datum eſt adjuto- *Cap.* 12.

„ rium perſeverantiæ, non quo fieret ut
„ perſeveraret, ſed ſine quo per liberum
„ arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc
„ verò ſanctis in regnum Dei per gra-
„ tiam prædeſtinatis, non tantùm tale ad-
„ jutorium perſeverantiæ datur, ſed ta-
„ le, ut iis perſeverantià ipſa donetur,
„ non ſolum ut ſine iſto dono perſeve-
„ rantes eſſe non poſſint, verùm etiam
„ ut per hoc donum non niſi perſeveran-
„ tes ſint.

ASSERTIO XXIII.

Si electio eſt ad certum gloriæ gradum, igitur omnia opera juſtorum debent abſolutâ Dei voluntate eſſe præordinata, nec poterunt aliter, nec aliud operari quàm ſit à Deo præordinatum: quod eſt contra libertatem.

CENSURA

Bona juſtorum opera, per quæ gloriam & certum gloriæ gradum conſequuntur, abſolutâ Dei voluntate eſſe præordinata, non debet negari, quandoquidem ſicut finem, id eſt, vitam æternam, ita & omnia media ad finem, cujuſmodi ſunt opera bona, Deus æterno ſuæ prædeſtinationis decreto, nullâ interpoſitâ conditione præviſi operis, electis ſuis præparavit, ut ini-

tio

Digitized by Google

tio oſtendimus; & aperta eſt Apoſtoli ſententia, quâ creatos nos eſſe dicit in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in iis ambulemus. Ex qua doctrina nequaquam conſequens eſt, juſtos non poſſe aliter, nec aliud operari, quàm ſit à Deo præordinatum, ſi verba hæc capiantur in ſenſu diviſo. Undè nec ullo modo tollitur, aut minuitur per hanc abſolutam & certiſſimam Dei prædeſtinationem humani libertas arbitrii, nihilo magis quàm divini. Quis enim negaverit, Deum ſua ipſius opera abſolutâ voluntate præordinaſſe, velut mundi creationem & gubernationem? Et tamen fatendum eſt, juxta Catholicam fidem, eum ſummâ libertate operari quæcumque operatur. Nec verò nova hæc eſt à parte liberi arbitrii ſumpta objectio. Nam etiam Pelagiani gratiam & Maſſilienſes ex libero arbitrio oppugnarunt. Et Fauſtus prætextu defendendi liberi arbitrii contra electorum prædeſtinationem diſputavit. Quibus abundè ab Auguſtino, Proſpero, & Fulgentio, aliiſque reſponſum eſt. „Nimium verò „ineptè, *ait Proſper*, nimiùmque inconſideratè ab iſtis adverſantibus dicitur, „quod per hanc Dei gratiam libero nihil „relinquatur arbitrio. *Et infra*. Nunc autem idem arbitrium converſum eſt, non

Petr. Diaconus in fine libri de Incar. & Grat. Chriſti.

In Epiſt. ad Ruff. vide etiam Fulgent. de Incarn. c. 20.

 „ever-

„ ſum; & donatum eſt ei aliter ſapere, „ aliter agere, & incolumitatem ſuam, „ non in ſe, ſed in Medico collocare. Pro- „ indè homo, qui in libero arbitrio fuit „ malus, in ipſo libero arbitrio factus eſt „ bonus: ſed per ſe malus, per Deum „ bonus, qui illum ita in initialem illum „ honorem alio initio reformavit; ut ei „ non ſolùm culpam malæ voluntatis & „ actionis remitteret, ſed etiam benè „ velle, benè agere, atque in his perma- „ nere donaret". *Idem alibi libertatem quoad malum per gratiam in hac vita non tolli, ſic breviter oſtendit*: „ Quia Deus ad obediendum ſibi „ ipſum velle ſic donat, ut etiam à per- „ ſeveraturis illam mutabilitatem, quæ „ poteſt nolle, non auferat". Et Auguſtinus, ita, inquit, *ſine gratia Chriſti non poteſt vivi, ut & mors ea in poteſtate ſit liberi arbitrii*. Porrò ſicut veriſſimè dictum eſt ab eodem Auguſtino, paucos eſſe qui valeant intellectu penetrare, quomodò Deus per gratiam homines attrahat, & nihilominùs dimittat illos libero ſuo arbitrio: quem operationis divinæ modum alibi *mirabilem & ineffabilem* vocat: ita pauci ſunt, qui capere poſſint, quomodò Deus ea quæ ſunt in tempore, ab æterno præordinaverit, nec tamen libertatem humanis actibus, nec contingentiam

Lib. 2. de vocatione gent. c. 28.

Tract. 22. in Ioan.

Lib. 2. contra lit. Petil. c. 24.

Lib. de grat. Chriſti c. 24. & de præd. ſanct. c. 20.

Digitized by Google

gentiam adimat cæteris quibuſcùmque effectis.

ASSERTIO XXIV.

Martyria & afflictiones Sanctorum, quas patiuntur ab impiis, ſunt excellentiſſima media ſalutis ipſorum: ergo etiam hæc ante omnem præviſionem erant præordinata: quod falſum eſt, quia Deus non erat author peccati.

CENSURA.

Ex eo quod Martyria & afflictiones Sanctorum, quas patiuntur ab impiis, ante omnem præviſionem dicantur præordinata à Deo, nullo modo conſequens eſt, Deum eſſe peccati authorem. Neque intereſt, ut author alicujus dicatur, utrum ante præviſionem, vel poſt, intelligatur id à Deo eſſe præordinatum. Excepto ergo peccato, omnia in Deum authorem refenda ſunt, etiam paſſiones & mortes ſanctorum. Nam *Dominus mortificat & vivificat*: Et, *vita & mors à Deo ſunt*, &c, *ſi erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus*. Undè Auguſtinus in lib. 83. queſtionum q. 21. *Deus*, inquit, *omnium quæ ſunt author eſt, quæ in quantum ſunt, bona ſunt*. Et Anſelmus in libro de concordia prædeſtinationis & præſcientiæ, *Omnis quali-*

Aug. tract. 1. in Ioan. ad illud ſine ipſo factum eſt nihil.
2. Reg. 2.
Eccleſ. 11.
Amos 3.
Parte 1. ſub fine.

 tas

Digitized by Google

tas & omnis actio, & quidquid habet aliquam eſſentiam; à Deo eſt, à quo eſt omnis juſtitia, & nulla injuſtitia. Facit igitur omnia Deus, quæ juſtâ, vel injuſtâ voluntate fiunt, id eſt, bona opera & mala. In bonis quidem facit quod ſunt, & quod bona ſunt, in malis quod ſunt, ſed non quod mala ſunt, & quæ ſequuntur, Quibus planè conſentanea ſcribit inter hodiernos R. P. Franciſcus Coſterus ex Societate Nominis Jeſu Theologus in Enchiridio ſuo Controverſiarum. Speciatim autem de traditione Chriſti in mortem, ejuſque & Martyrum paſſionibus. Similia tradit Auguſtinus, ſcribens in Pſal. 93. Notandum autem, ſimili ferè argumento Fauſtum olim conatum oſtendere, quod non ex ſola Dei deſtinatione parvuli, quos Herodes occidit, tam beatam mortem fuerint conſecuti.

De lib. arb. ad 1. objectionem. Vide & Bonavent. in Diſt. 37. Viae & Auguſt. in Pſal. 63. & tract. 7. in Ioan. & Leon. ſerm. 1. de Epiph. Domini. Fauſ. 2. de lib. arb. c. 3.

ASSERTIO XXV.

Ezech. 36.

Ad illud Ezechielis, *Faciam ut in præceptis meis ambuletis*, &c. Dico ibi ſignificari Deum daturum abundantiorem gratiam in nova lege, quàm in veteri; quâ fiet ut re ipsâ plures ambulent in lege Dei, quàm in lege veteri. Non ergo illud, *faciam ut ambuletis*, ſignificat illum providentiæ modum per quem omnes infallibiliter ſervarent præceptum Dei.

CEN-

CENSURA.

Nova & non ferenda interpretatio. Manifeſtè enim continet hæc ſcriptura promiſſionem novæ legis, ſicut & illa Hierem. 35. *Dabo legem meam*, &c. Diſcrimen autem inter legem veterem & novam per ſe, non in eo eſt, quod ſub veteri pauciores, ſub nova verò plures ambulent in lege Dei (accidit enim legi veteri quod ſub ea aliqui ambulent in lege Domini, quandoquidem *nihil ad perfectum adducit lex*, neque ex lege juſtitia) ſed quod lex vetus tantùm *in tabulis ſcripta fuerit*, lex nova *in cordibus* ſcribatur. Undè dicitur eodem loco apud Prophetam, *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.* Hæc Prophetæ mens eſt, juxta B. Auguſtini & aliorum Patrum fidelem & conſtantem interpretationem. Quorum unus Fulgentius: *Quid eſt*, inquit, *faciam ut faciatis, niſi mei erit operis omne bonum quod operati fueritis? Ipſe ergo facit ut faciamus, quo in nobis operante, fit omne bonum quod facimus.* Sic Fulgent. Quod autem ex ſua interpretatione concludit aſſertor, *Non ergo illud, faciam ut ambuletis, ſignificat illum providentiæ modum, per quem omnes,* (hoc eſt, ad quos illa promiſſio pertinet) *infallibiliter ſervarent præceptum Dei*, multum fallitur. Quod enim promi-

ad Heb. 7. ad Gal. 2. & 3.

2. Cor. 3.

Lib. 1. ad Monim. cap. 14.

ſit Deus ſe facturum, infallibiliter fiet: atque, ut Proſper ait tractans locum Hierem. 31. *Deus electos ſuos credituros promiſit, perſeveraturos promiſit. Fient ergo hæc infallibiliter, & quidem ab eo qui promiſit, qui hæc omnia in electis ſuis operatur.*

Lib. 1. de vocat. gent. cap. 9.

ASSERTIO XXVI.

Non eſt voluntas abſoluta Patris, ut omnes, quos ipſe dat filio, abſolutè ſalventur; ut patet Joannis 17. ubi dicit, quod ex illis quos dedit illi pater, perierit filius perditionis, qui ſeipſum perdere voluit. Sed voluntas Patris eſt, ut omnes habeant ſufficientia auxilia, & non ſtet per ipſum quominus ſalventur.

CENSURA.

Ex ignorantia Phraſis Scripturæ procedit hæc objectio. Non enim ſenſus eſt, ex iis qui dati ſunt unum periiſſe; ſed potiùs hoc ſermone ſignificatum eſt, eum qui periit, datum non eſſe. Ita 4. Reg. 5. dicit Naaman Syrus ad Elizæum, *Non faciet ſervus tuus holocauſtum aut victimam diis alienis, niſi Domino*, id eſt, ſed tantùm Domino; qui utique diis alienis non erat connumerandus. Sic Math. 12. *quos non licebat ei* (David ſcilicet) *edere, neque his qui cum eo erant, niſi ſolis Sacerdotibus.* Item actor.

24. *Si quid invenerint in me iniquitatis, niſi de una hac voce*, &c. Et ad Gal. 2. *Non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti.* Et Apocal. 21. *Non intrabit aliquid in eum coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni.* Certè alia loca ſatis oſtendunt, abſolutè & ſine exemptione hunc locum intelligi debere, ut Joannis 6. *omne quod dat mihi Pater, ad me veniet.* Et Rursùm, *hæc eſt voluntas ejus, qui miſit me, patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo.* Ac denique c. 18. id quod c. 17. dictum ab Euangeliſta, repetitur, nullâ vel ſpecie exceptionis additâ: ,, Ut impleretur ſermo quem di- *Lib. de Correption. & Grat. cap. 9. Similiter Proſp. lib. 1. de vocat. gent. c. 14.*
,, xit, quia quos dediſti mihi, non per-
,, didi ex iis quemquam. *Non enim, ut ait*
,, *Auguſtinus*, periit filius promiſſionis,
,, ſed filius perditionis. Hi ergo Chriſto
,, intelliguntur dati, qui ordinati ſunt in
,, vitam æternam. Ipſi ſunt illi prædeſti-
,, nati, & ſecundum propoſitum vocati.
,, Quorum nullus perit, ac per hoc nul-
,, lus eorum ex bono in malum mutatus,
,, finit hanc vitam, quandoquidem ſic
,, eſt ordinatus, & ideò Chriſto datus,
,, ut non pereat, ſed habeat vitam æter-
,, nam. *Et idem alibi*, Ex prædeſtinatis & *Lib. 5. contra Iul. c. 4.*
,, electis nemo perit, quâcunque ætate
,, moriatur. Abſit enim, ut prædeſtina-

„ tus ad vitam ſine Sacramento media-
„ toris finire permittatur hanc vitam.
„ Propter hoc Dominus ait: hæc eſt
„ autem voluntas ejus, qui miſit me, Pa-
„ tris, ut omne quod dedit mihi, non per-
„dam ex eo". Sic Auguſtinus. Mirum autem in his Aſſertionibus tam levia & futilia & nonnulla penè puerilia argumenta pro ſeriis & ponderoſis afferri, quæ probatiſſimæ fundatiſſimæque ſummis ac graviſſimis de rebus doctrinæ B. Auguſtini opponantur, & improbabilibus, ut ne dicam periculoſis opinionibus locum faciant, & firmamentum addant.

ASSERTIO XXVII.

Rom. 8. Hæc Sententia Apoſtoli: *Omnia cooperantur in bonum his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti*, loquitur in genere de omnibus diligentibus Deum, non autem tantùm de illis qui erant prædeſtinati.

CENSURA.

Ex toto contextu Apoſtoli perſpicuum eſt, eum de electis loqui. Auguſtinus quoque vocatos ſecundum propoſitum non alios intelligit, quàm prædeſtinatos; de quibus ita ſcribit in lib. de corrept. Cap. 9. & gratia: *Talibus Deus, diligentibus eum, omnia cooperatur in bonum: uſquè adeò prorsùs omnia,*

nia; ut etiamſi qui eorum deviant, atque exorbitant, etiam hoc ipſum iis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores. *Vide ſoliloq. cap. 28.* Quæ eadem ex Auguſtino verba Venerabilis Beda dicti loci Apoſtoli commentarium fecit, ut & poſt eum B. Anſelmus. Hæc autem de reprobis, Deum ad tempus diligentibus, dici non poſſe perſpicuum eſt. Undè rursùs eodem loco Auguſtinus, *Sciens Apoſtolus nonnullos diligere Deum, & in eo bono non permanere uſque ad finem, mox addidit; his qui ſecundum propoſitum Dei vocati ſunt. Hi enim in eo quod diligunt, permanent uſque in finem: & qui ad tempus indè deviant, revertuntur ut uſque in finem perducant, quod in bono eſſe cœperunt.* Conſtans verò eſt in hac expoſitione D. Auguſtinus, ut patet operis citati cap. 7. lib. 2. contra duas Epiſtolas Pelag. cap. 2. & alibi.

ASSERTIO XXVIII.

In his verbis, *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*, *ad Rom. 9.* per dilectionem non ſignificatur efficax ordinatio ad gloriam, ſed ad majora dona gratiæ, quæ non erant ex prævisis meritis. Quia enim ex Jacob naſciturus erat Chriſtus, voluit illi Deus & ejus poſteritati maxima ſigna dilectionis oſtendere, quæ non oſtendit fratri ejus Eſau; ita ut comparatione Jacob & populi

puli Iſraelitici, Eſau & Idumæi poſſint videri odio habiti.

CENSURA.

Manifeſtum eſt, Apoſtolum Prophetæ teſtimonium adducere, ut oſtendat non ex prævisis operibus, ſed ex ſolo ſuæ voluntatis beneplacito Deum alios præ aliis ad ſalutem elegiſſe. Id quod verba ejus perſpicuè docent. *Cum enim*, inquit, *nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſerviet minori; ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Et mox: *igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Et rursùm, *Ergo cujus vult, miſeretur: & quem vult, indurat.* Quod probat ſubjectâ figuli comparatione; *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Hunc autem ſenſum verborum Apoſtoli non uno loco tradit Auguſtinus, qui eadem illa verba tractans in Enchir. Cap. 98. ſic ait; *Qua in re ſi futura opera, vel bona hujus, vel mala illius quæ Deus utique præſciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret, non ex operibus; ſed diceret, ex futuris operibus, eoque modo iſtam ſolveret quæſtionem.* Idem retractans libros ad Simplician. in quorum priore hunc

hunc totum Apoſtoli locum, qui eſt de vocatione ſecundum propoſitum, expoſuerat; „ In ejus, *inquit*, quæſtionis ſolu-
„ tione laboratum eſt quidem pro libero
„ arbitrio voluntatis humanæ, ſed vicit
„ Dei gratia: nec niſi ad illud potuit
„ perveniri, ut liquidiſſimâ veritate dixiſ-
„ ſe intelligatur Apoſtolus, quis te diſcer-
„ nit? quid habes, quod non accepiſti?
„ Si autem acceperis, quid gloriaris quaſi
„ non acceperis? Quod volens etiam
„ martyr Cyprianus oſtendere, hoc to-
„ tum ipſo titulo definivit, dicens, in nul-
„ lo gloriandum, quia noſtrum nihil eſt.
Sic Auguſtinus, apud quem videre quoque eſt dicti loci Apoſtolici exactam tractationem, in Epiſtola ad Sixtum Romanæ Eccleſiæ tunc presbyterum, poſteà Pontificem. *Epiſt. 105. ad Sixt.* Porrò notandum, quod eundem hunc locum Fauſtus etiam lib. 1. de libero arbit. capite 6. *Lib. 2. de Lib. Arb. cap. 6.* dum gratuitæ prædeſtinationis doctrinam obſcurare, imò evertere nititur, aliò prorsùs violentè detorſit, ſenſum afferens ex diametro cum ſcopo Pauli pugnantem.

ASSERTIO XXIX.

Si Deus, prævifo originali peccato, abſolutâ voluntate conſtituit hunc hominem excludere à regno, vel admittere ad regnum,

regnum, ante omnem prævisionem operum: ergo nullis operibus bonis, vel malis poterit averti quod decretum eſt. Nam hæc ſuppoſitio divinæ voluntatis facta eſt independenter à voluntate humana: ergo abſolutè neceſſarium eſt, hominem damnari, poſito quod Deus illum reprobaverit, & ſpeciali providentiâ procurare debebit, ut in peccatis moriatur.

CENSURA.

Diſtinguendum eſt inter prædeſtinationem, & ejus executionem. Undè quamvis in divina prædeſtinatione prior ſit gloria quàm actus humani arbitrii, ideòque præordinatio gloriæ facta ſit independenter à libertate humana: in executione tamen actus humani arbitrii prior eſt gloria: quæ proindè ab illo dependet, juxta illud: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Sed tamen hoc ipſum quod eſt ſervare mandata, cùm ſit homini eâdem prædeſtinatione à Deo præparatum ac proviſum, ut medium ad ſalutem, non fit à libero arbitrio, niſi eo operante, qui fecit in tempore quidquid præordinavit ab æterno. Reprobatio verò fit propter præviſum peccatum: quod quia per ſe ſit ſufficiens medium ad damnationem, non hîc quæri debet ſpecialis Dei providentia, quâ tale

tale medium procuretur. Attamen non erit conſequens, etiamſi ſalus aut damnatio hominis quoad executionem non dependeret ab ejus voluntate, ob id abſolutâ neceſſitate eventuram. Cujuſmodi conſequentiæ vitium manifeſtè patet in parvulis.

ASSERTIO XXX.

Numerus prædeſtinationis non eſt certus ex præordinatione quæ antecedit omnem præſcientiam operum.

CENSURA.

Certum eſſe apud Deum numerum prædeſtinatorum neque ait, neque negat aſſertor. Quod autem certum ſit ex præordinatione omnem præſcientiam operum antecedente, ſatis initio, quantum cenſuræ brævitas patitur, oſtendimus. Et verò quid aliud quàm ex mera Dei præordinatione & voluntate pendere certitudinem numeri electorum (cui nec addi quiſquam poſſit, nec auferri) ſignificant hæ & ſimiles Scripturæ; *ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, electi.* Matth. 24. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet.* Ioan. 6. *Hæc eſt voluntas Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo.* Ioan. 10. Et rursùm, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Ioan. 17. Et infrà. *Propterea dixi*

dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. Item, Oves meas *nemo poteſt rapere de manu Patris mei.* Et, *vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis.* Et alibi, *Non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt.* Et Apud Apoſtolum, *ſi Deus eſt pro nobis, quis contra nos? Quis accuſabit adverſus electos Dei? Certus ſum quia neque mors, neque vita, poterit nos ſeparare à Charitate Dei.* Et alio loco, *firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, cognovit Dominus qui ſunt ejus.* Certitudinis igitur hujus ratio eſt, non in præſcientia operis humani, ſed in decreto & in promiſſione divina; quia quæcumque Deus abſolutè decrevit & promiſit, potens eſt & facere, & certiſſimè faciet. Undè illa eſt aperta Auguſtini ſententia: *quoniam immutabilia ſunt divina promiſſa*, ideò *prædeſtinatorum neminem perire poſſe.* Quocircà non poteſt non peregrina, atque à Scripturarum & ſanctorum Patrum, Auguſtini maximè, ſenſu aliena judicari hæc doctrina, quæ prædeſtinationem ejuſque certitudinem pendere vult ex operum præviſione. Quam doctrinam, ſicut & illam de ſufficienti, quod omnibus adſit, auxilio, continent quidem apertiſſimè duo libri, quos Fauſtus edidit quondam de libero arbitrio. Ubi inter alia multa legitur illud huic aſſertioni

Rom. 8.

2. *Tim.* 2.

Lib. 18. *de Civitate Dei cap.* 51.

Lib. 1. *c.* 3.

tioni planè congruens; *Niſi præſcientia exploraverit, prædeſtinatio nihil decernit.* Sed eos libros, ut ſanæ doctrinæ contrarios, anathematizarunt olim Orientales, à quibus in cauſa fidei Romam miſſus fuerat Petrus Diaconus; & cum aliis ejuſdem authoris reprobavit Gelaſius Pontifex. Eoſdem refutavit B. Fulgentius in eo opere, de quo Iſidorus; *Legimus*, inquit, *ejus de gratia & libero arbitrio libros reſponſionum ſeptem, in quibus Fauſto Galliæ Regienſis urbis Epiſcopo Pelagianæ pravitati conſentienti reſpondens, obnititur ejus profundam deſtruere calliditatem.* De quo & in vita ejus ſic legitur, *duobus libris, quos Fauſtus Galliarum ſubdolo ſermone compoſuit, favens occultè Pelagianis, ſed Catholicus tamen volens videri, ne occultum ſerperet virus, ſeptem libris ipſe reſpondit, plus laborans exponere, quàm convincere, quia dubios ejus ſermones exponere, hoc erat delirantis argumenta convincere.* Schiſmaticum autem & hæreticum ſimul authoris Spiritum indicat Epiſtola operi præfixa ad Lucidum Presbyterum, in cujus ſtatim initio *ſummos Antiſtites*, id eſt, Romanos Pontifices taxat, *quaſi magis à bonitate ſuſpendere, quàm curare velint errantes.* Quare etiam atque etiam videant, qui novas iſtiuſmodi Aſſertiones proferunt, quoſnam & quales ſuæ doctrinæ patronos venerentur. Nam in illis

Petrus Diaconus in fin. lib. de Incar. & Grat. Chriſti c. 5. Rom. Eccleſiæ.

De viris illuſ. ca. c. 13.

Cap. 26.

Vide etiam Ioan. Maxentium in reſp. ſua pro Monachis. cap. 18. Vbi libros illos Fauſti hæreticos pronunciat. Et Adonem in Chronico ad ann. 492. Et Vincent. in Speculo Hiſtoriali lib. 20. cap. 106. Et Sixtum Senenſem 6. Bibtioth. Sanct. annot. 251. ubi dicit Fauſtum tacito nomine ſcripſiſſe contra Auguſt.

Digitized by Google

duobus Fauſti libris tota ferè harum Aſſertionum doctrina ex profeſſo traditur ac defenditur. Impoſuit quidem nonnullis, etiam hoc ſæculo, viris doctis Fauſti profunda calliditas: ſed id priuſquam eis, quis & qualis fuerit Fauſtus, innoteſceret. Et viſa fuit Eraſmo, Pighio Catharino ad conciliandum cum gratia liberum arbitrium commodiſſima via, quam Fauſtus commonſtrat; ſed horum vel authoritas, vel doctrina, quanti in hoc genere ſit facienda, non eſt obſcurum: quia & alibi non leviter impegerunt.

ASSERTIO XXXI.

Quæ totius materiæ concluſio dicitur.

Hæc ſententia de prædeſtinatione & reprobatione, maximè conſentanea eſt divinæ bonitati, ſcripturarum authoritati, Patrum teſtimoniis, & naturalis rationis æquitati, in nulla re omninò Pelagio favens, & quàm longiſſimè à ſententia Lutheri, & Calvini, & reliquorum hæreticorum noſtræ tempeſtatis recedens, à quorum ſententia & argumentis difficile eſt alteram ſententiam vindicare.

Maximè eſt conſentanea divinæ bonitati.

CENSURA.

Hoc quidem primâ facie videri cuipiam poteſt, ſed penitus rem conſideranti con-

contrarium magis apparet, videlicet hâc doctrinâ bonitatem Dei multipliciter obſcurari. Primùm, quia ſub occaſionem ſufficientis auxilii, quod omnibus, etiam induratis & excæcatis ſemper & ubique adeſſe fingitur, gratiæ illius Chriſti, quæ propria eſt bonis, & doni perſeverantiæ, quod proprium eſt electis, dignitas graviter læditur & minuitur. Deindè quia per eam excellentiſſimum & potentiſſimum divinæ bonitatis opus, quod eſt peccatoris converſio, non niſi ſecundum auxilium illud omnibus commune, & nonnullas fortè prævias excitationes, Deo tribuitur authori: ſic ut actualis ipſa, quæ fit in voluntate, mutatio, non ſit dextræ Excelſi, ſed liberi tantùm arbitrii. Teritò quia orationes, laudes, gratiarum actiones, quibus maximè Dei erga nos bonitas agnoſcitur & commendatur, magna ex parte evacuat atque evertit, docens hominem bonam, quâ coram Deo juſtificetur ac ſalvetur, voluntatem à ſe ipſo potiſſimè ſperare, ſibi gratiam habere, in ſe ipſo gloriari. Poſtremò, quia cùm è tanto numero infidelium, quibus Euangelium non fuit annunciatum, non niſi pauciſſimos, aut vix ullos, per ſolum hoc, quod vocatur, ſufficiens auxilium, ad juſtitiam & ſalutem dici queat perve-

Digitized by Google

nire: ſequitur, illius occaſione graviorem omnes eos qui non ſalvantur incurrere damnationem, propterea quod auxilio ſufficienti oblato atque conceſſo non fuerint uſi; qui profectò minùs punirentur, ſi tale auxilium nunquam habuiſſent. Qua in re non jam bonitas Dei, ſed magna ſeveritas apparet.

Scripturarum authoritas.

Imò Scripturas in alienos, ineptos, Patribus incognitos, & Catholicæ doctrinæ parùm conſentaneos ſenſus detorquet.

Patrum teſtimoniis.

Imò Patrum teſtimoniis, illorum maximè qui contra Pelagianos atque eorum reliquias de gratia & prædeſtinatione clariùs & accuratiùs ſcripſerunt, admodùm diſſentanea eſt.

Naturalis rationis æquitati.

Fallit humana ratio, ſi non authoritate divinâ fulciatur; eademque Pelagium fefellit; & hujus ſæculi Philoſophis perſuaſit, ut dicerent ſe eſſe ſapientes, & quoniam negare non poterant ſe non à ſe ipſis factos homines, crederent ſaltem ac dicerent ſe à ſeipſis, non autem à Deo, fieri bonos. Sic enim Philoſophus & orator Romanus quaſi communi Philoſophorum ore; *virtutem*, inquit, *nemo unquam Deo acceptam retulit.* Nimirum rectè. Propter

ad Rom. 1. Auguſt. ſerm. 11. de Verb. Apoſtol. & ſerm. 38. de Verb. Domini.

Cic. lib. 3. de Natura Deorum.

pter virtutem enim iure laudamur, & in virtute rectè gloriamur. Quod non contingeret, ſi id donum à Deo, non à nobis haberemus. En rationem humanam. Et mox; *Num quis, quod bonus vir eſſet, gratias diis egit unquam? At quod dives, quod honoratus, quod incolumis. Iovemque optimum maximum ob eas res appellant, non quod nos iuſtos, temperantes, ſapientes efficiat, ſed quod ſalvos, incolumes, opulentos.* Et iterùm; *Iudicium hoc omnium mortalium eſt, fortunam à Deo petendam, a ſe ipſo ſumendam eſſe ſapientiam.* Sic Iſocrates Philoſophus & Orator Græcus præſtantiſſimus, *Quod à Deo datur, eſſe bonam fortunam dixit; quod à nobis ipſis, bonum conſilium.* Sic & moralis ille Poëta cecinit; *In Oratione ad Demonic.*

Sed ſatis eſt orare Iovem, qui donat & aufert,
Det vitam, det opes, æquum mi animum ipſe parabo. *Horatius in Epiſtola ad Lollium.*

En quod perſuadet, & quò perducit humana ratio lumine fidei deſtituta. Quare mirum non eſt, ſi & ſecretum illud gratuitæ prædeſtinationis divinæ myſterium eidem corruptæ rationi humanæ videatur iniquum. De quo Philoſophus ſi interrogaretur, non aliud ex ſua Philoſophia reſponderet, quàm prædeſtinari à Deo debuiſſe ad fælicitatem eos, quos benè juſtèque per ſuum liberum arbitrium victuros prævidiſſet tantùm, non etiam præordinaſſet; ac prædeſtinationis illius cauſam hanc eſſe prævifionem; ita

enim naturalis rationis æquitatem poſtulare. Verùm huic corruptæ rationis æquitati ex adverſo reſtitit Paulus inquiens;
Rom. 9. *Nunquid iniquitas eſt apud Deum? O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic?* Et
Ibid. 11. alibi; *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi & retribuetur ei?* Reſiſtit & cæleſtis Pater familias in Euangelio, cùm
Matth. 20. ait cuidam; *Amice, non facio tibi injuriam: an non licet mihi quod volo, facere? An oculus*
Auguſt. de dono perſever. cap. 8. & Proſp. lib. 1. de vocatione gentium cap. 17. *tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum;* Sicut enim in diverſa cauſa non fuit iniquum idem judicium; ſic nec in una atque eadem cauſa iniquum eſt judicium tam diverſum, ut unus aſſumatur, alter relinquatur; unus miſericorditer liberetur, alius juſtè damnetur.

In nulla re omnino Pelagio favens.

Imò ſanè metuendum ne harum aſſertionum parens cum Maſſilienſibus &
Cæleſtinus Papa in Epiſtol. ad Epiſcop. Galliæ cap. 3. Fauſto (quibuſcum adeò multa ſunt ei communia) *quamvis Pelagium anathematizare non dubitet*, damnatis tamen ejus ſenſibus plus ſatis appropinquet.

Longiſſimè à ſententia Lutheri & Calvini, &c.

Et olim Pelagiani quàm longiſſimè à

Mani-

Manichæis recedere voluerunt, & à Sabellianis Ariani, & à Neſtorianis Eutychiani, ac Monothelitæ. Sic videlicet *dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt*: cùm potiùs audiendum eſſet illud Hilarii, *Ne damnemus Patres, ne annuamus hæreticis, ne dum hæreſim expellimus, hæreſim nutriamus.* In fine libri de Synod.

A quorum ſententiis & argumentis, &c.

Si beati Auguſtini de gratia & prædeſtinatione ſententia in eam vocetur ſuſpicionem, quaſi doctrinæ Lutheri, & Calvini, & reliquorum noſtræ tempeſtatis hæreticorum faveat, aut certè difficile ſit etiam doctis ab illorum ſententia & argumentis ejus doctrinam vindicare: non ergo rectè Auguſtinum tanquam *clariſſimum & præcipuum Eccleſiæ lumen*, eumdemque *gratiæ Chriſti præcipuum atque optimum defenſorem, ſemper venerata eſt atque etiam nunc veneratur Eccleſia.* Quin potiùs ſi ita res habeat, ab ejus librorum lectione, tanquam periculosâ, procul arceri deberent fideles. Ita enim Maſſilienſes olim de ejus opuſculis quibuſdam, ut apud Proſperum eſt, [a] verè ſentiebant. Sed ſi indignum & prorsùs intolerabile eſt de tanto doctore, præſertim poſt tam illuſtria ſedis Apoſtolicæ de eo, ac totius Eccleſiæ teſtimonia, [b] tam malè ſuſpicare: videatur etiam atque etiam quo loco ſint habendæ

Rom. brev. in Ambroſ. Et Sixtus V. Papa in Bulla contra Geneth edita.

a Contra Collator. in principio & in fine, & in Epiſt. ad Ruff. & præfatione ad Capitula Gallorum, & reſponſione ultimâ ad excerpta Genuenſ.

b Cælestinus in Epiſt. ad Epiſcop. Gal. Gregor. l. 8. Epiſt. 37.

Digitized by Google

Hieron. in Epiſt. ad Auguſt. qua incipit, O nuxi quidem tempore.

bendæ; quæ ab ejus probatiſſima doctrina tam longè diſſident, aſſertiones. Illud etiam cogitetur, non ſemper veritati viciniùs eſſe, quod eſt in doctrina faciliùs. Alioquin enim in myſterio Sacroſanctæ Trinitatis Arius, vel Sabellius: & in myſterio Incarnationis Neſtorius: & in myſterio Sacri altaris explicando Berengarius, Zuinglius, Calvinus, nobis potiùs ſequendi eſſent, quàm Eccleſia Chriſti catholica. Sanè difficultatem in materia gratiæ & prædeſtinationis ſemper Patres agnoverunt, eamque *vix paucis penetrabilem.* ᵉ Quæ tamen ab ipſis, dum contra Pelagium, ejuſque ſequaces Scriberent, Deo juvante, non indoctè, neque infeliciter, cùm res tulit, explicata eſt. Quod ſi ergo putat hujus novitiæ doctrinæ Aſſertor, vel quiſquis ſimilia cum ipſo ſapit, ſe rationem inveniſſe, quâ adeò facilè & ad captum multitudinis poſſit hæc gratiæ cum libero arbitrio concordia explicari, vel indè intelligat quàm non eâdem doctrinæ viâ cum illis in hoc gratiæ & prædeſtenationis myſterio tradendo procedat.

e Aug. 2. contr. lit. Petili. c.84. de Grat. Chriſti c.24. & 47. l. 4. contra Iul. c.8. l.2. de Peccat. Meritis cap. 18. de Prædeſt. Sanct. c.8. & 20.

De Mandato Decani & Magiſtrorum Facultatis S. Theol. Univerſitatis Duacenſis, ſubſcripſi Donatus Banſoit ejuſdem Facultatis S. Theol. Bedellus & Notarius publicus. Anno 1588. die 20. Ianuarii.

Subſignatum D. BANSOIT Notarius publicus & S. Facultatis Theologiæ Bedellus.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google